MYTHOGRAPHI GRAECI.

VOL. III. FASC. II.

PALAEPHATI
ΠΕΡΙ ΑΠΙΣΤΩΝ

HERACLITI
QUI FERTUR LIBELLUS ΠΕΡΙ ΑΠΙΣΤΩΝ


EXCERPTA VATICANA
(VULGO ANONYMUS DE INCREDIBILIBUS)

EDIDIT

NICOLAUS FESTA



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MCMII



LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

PRAEFATIO.

Tria quae hic eduntur opuscula, cur uno volumine complectenda putaverim[1]), idque a clarissimo viro qui huic Mythographorum graecorum corpori edendo praeest facile impetrarim, non est quod dicam. Editionis autem consilium elucebit, opinor, ex Prolegomenis, quae ampliora me invito facta sunt, cum de Palaephato multa et controversa occurrerent. De Heraclito contra et Excerptis Vaticanis vix habui quod dicerem. Unum tamen hic liceat affirmare, has quoque obsoletae eruditionis lacinias multo quam antea emendatiores prodire. Apparatus palaephatei molem ingentem nolui varietatibus paene innumeris codicum singulorum onerare; eas tantum lectiones notare studui quae alicuius momenti esse ad archetypos restituendos videbantur. Ne tamen codices illos quibus mea nititur editio, a Vitellio meo diligentissime collatos, iterum inspiciendos esse dicas, ut quae a me sint omissa pro tuo iudicio expendas, hanc quoque variarum lectionum, etiam minutissimarum[2]) interdum rerum farraginem, edendam

1) Vide sis dissertationis meae (*Intorno all' opuscolo di Palefato de incredibilibus Considerazioni,* Firenze-Roma 1890) pp. 67 sqq. Cur amplissimum illud omnium pragmaticorum mythographorum reliquias colligendi consilium ad aliud tempus differre coactus sim, facile intelligitur et partim in Prolegomenis exposui (infr. p. XLVII sq.).

2) P. 3, 1 *ἡ τροφῇ m*; 3, 2 *φάρυγος d*; 3, 4 (et 4, 6) *Ἰξίωνος d*; 3, 5 *βάσιλεως* et *ἀπήγριώθη m*; 38, 1 *ὄπιθεν d*; 48, 14 *ταῦτη m* aliaque id genus omissa esse nemo sanus dolebit, quoniam quantum eiusmodi quisquiliae ad codicum familias distinguendas fructum dare poterant, tantum Vitellio iam pridem dederunt.

curavi in studiorum italicorum ad philologiam spectantium vol. IX, p. 495—507.

Quae, ubi codicum testimonium defecit, coniecturis vel meis vel aliorum fretus novavi, cum in apparatu vix paucis explicari possent, in Prolegomenis exposita invenies.

Restat ut viris clarissimis qui me in hoc opere adiuverunt gratias agam, Vitellio in primis qui regali quadam ut solet munificentia opes ingenti labore a se collectas uberrimas mihi dono dedit, plagulas praeterea totius fere voluminis diligentissime examinavit et saepe correxit. Clarus autem ille studiorum fautor Fr. Ehrle Bibliothecae Apostolicae praefectus liberalitate sua effecit ut Vaticani codicis folia, quibus Heraclitus et Excerpta continentur, aetate corrupta et lectu difficillima, iterum atque iterum, vel importuno anni tempore, inspicere et cum pulvisculo excutere possem. Codicis marciani 453 ad Pal. c. XXXIX collationem misit Lionellus Levi. Codicis neapolitani *k* locum unum et alterum rogatu meo Franciscus D'Ovidio humaniter inspexit et mea dubia solvit. Hoc idem in cod. vaticano *x* modo Vitellius modo Aeneas Piccolomini fecerunt, cum ego Florentiae adhuc degerem. Wendlandii denique coniecturam Maximilianus Treu amicus vere fidelis mecum communicavit. Quibus omnibus nunquam pro meritis debitas gratias solvere potero; utinam tamen placeat illis opus hoc qualecumque, iniquissimo vitae meae tempore per summas difficultates vix tandem absolutum!

Scr. Romae Kal. Dec. a. MCMI.

Nicolaus Festa.

PROLEGOMENA AD PALAEPHATUM.

Pars prior.

Huius editionis consilium.

De codicibus manu scriptis (§§ 1—16). De subsidiis (§§ 17—22). De emendationibus (§§ 23—30).

§ 1. De codicibus palaephateis licet iam perspicue simul et breviter disserere, postquam tenebras omnes huic materiae obductas dissipavit Vitellius meus[1]) turbasque rerum ingentes in ordinem adduxit.

Quotquot ad hunc diem innotuerunt opusculi palaephatei libros manu scriptos[2]) docuit is in quattuor classes distribuendos esse. Classium ipsarum et codicum conspectus appono; sigla tantum Vitelliana omisi praeter ea quae in apparatum meum recepi; alia quaedam non novitatis amore sed commoditatis causa mutanda fuerunt.[3])

§ 2. A classi (Vit[elli] p. 243—5. 341—7) tribuendi sunt

p = parisinus gr. 2557 (Omont, III 4) chart. s. XV Michaelis Apostolae manu exaratus

v = vratislaviensis rehdiger. 22 (Treu, Catal. 10 sq.) chart. s. XV

---

1) *I Manoscritti di Palefato* in *St(udi ital. di) F(il. class.)* I (1893) 241—379.

2) Codicibus a Vitellio descriptis duo post a. 1893 accesserunt; v. *St. F.* III (1895) 31—34 et IV (1896) 185—191.

3) Hac de re fusius agetur infra. Hic satis est ostendere discrepantiam siglorum inter Vitellium et apparatum meum. Vitelli classis Σ est mihi S, cod. V = *v*, L = *l*, K = *k*, X = *x*, D = *d*, H = *h*, *d* = *e*. Codicem Vallicellianum *v* olim, nunc *u* siglo notavi.

i = barberinianus I 97 (olim 374) chart. s. XV
matritensis 66 (Iriarte, 229 sqq.) chart. s. XV Constantini Lascaris manu exaratus
vaticano-palatinus gr. 360 (Stevenson, 210 sq.) chart. s. XVI
harleianus 5629 (*Catal. of the Harleian Mss. in the Br. Mus. III 282 sqq.*) chart. s. XV.
e = hauniensis add. 275 chart. s. XV.[1])

Hi codices continent libelli praefationem et capita XLVII hoc ordine[2]): I. II. III initium et VII extrema verba in unum confusa. VIII—L. Matritensis omittit c. XXXVI. In cod. *e* manus recentior (e^2) s. XVII ex aliquo B classis codice lacunas capp. III et VII explevit, integra capp. IV—VI adiecit.

§ 3. B classem (Vit. 245—50 et 314—341) efficiunt
l = laurentianus 60, 19 (Bandini, II 609 sq.) membr. s. XIV
ravianus = bibliothecae berolinensis reg. ms. gr. quart. 9 (K. Boysen, Philol. XLII [1884] 285—308) chart. s. XV
venetus marcianus cl. IX cod. 6 (olim 51 in bibl. SS. Iohannis et Pauli) membr. s. XV
baroccianus 125 (Coxe, 200 E sqq.) chart. s. XVI Nicolai Malaxi manu exaratus
baroccianus 72 (Coxe, 117 D sqq., sed cfr. Studemund, Anecd. gr. et lat. I 104 n.) chart. s. XV ex.
k = neapolitanus 139. II E 4, chart. s. XIII ex. vel XIV in.
vaticanus gr. 1385 chart. s. XV—XVI
venetus marcianus 490 chart. s. XV

1) Huius codicis simillimus fuit *a* (= aldinus), ut infra fusius ostendam; saepissime in apparatu siglo *a'* usus sum pro *a e*.

2) Capitum numeri hic et infra afferuntur quales in hac mea editione ex codicibus restituti sunt. V. quae infra expono § 16 et cfr. § 15 extr., § 14, adn. 1 et quae de codd. BS in p. VII.

x = vaticanus gr. 942 chart. s. XIV
montepessulanus 422 (= n. 78 ap. Omont, III 376) chart. s. XVI
parisinus gr. 2720 (Omont, III 29 sq.) chart. s. XV—XVI
angelicanus 54 (olim D. 5. 8. v. G. Muccio e P. Franchi de Cavalieri in *St. F.* IV [1896] 102 sq.) chart. s. XV—XVI.

Hi codices praefationem exhibent et capp. XLIII, scil. capp. XXXIV et XXXVI omittunt, reliqua eodem ordine praebent quem in editione mea servandum duxi. Cap. XXX angelicanus omittit sine lacunae signo. Fragmentum matritense cod. N 102. 35 olim bibl. capituli toletani (Vit. 378, ubi x littera fragmentum indicat) huic classi tribuendum videtur.

§ 4. S classi (Vit. 250 sq. 373—8) pertinent
d = dresdensis gr. D a 35 (olim mosquensis bibl. S. Synodi n. 239[1]): V. Gebhardt, *Centralblatt für Bibliothekwesen* 1898 p. 548 et V. Jernstedt, Viz. Vrem. VIII, 115 sqq.) chart. s. XIII—XIV in.
h = venetus marcianus 513 (Zanetti, 277) chart. s. XV
n = parisinus gr. 854 (Omont, I 159 sq.) chart. s. XIII
m = berolinensis-phillipsianus 1611 (= meermann. 350; Haenel, Catal. mss. 843) chart. s. XIV ex.

Praefationem et capp. XLV ordine a me servato haec classis continet. Mutili sunt n, qui capp. XXVII prioribus et praefatione caret, et m, qui praefationem et capp. XXXIV—XXXVI omisit, praeterea, cum folia nonnulla intercidissent, capp. I. XI. XVIII. XXXI. XXXVII partim, capp. II—X. XIX—XXX. XXXVIII—XLV omnino non servavit.

---

1) Codex Fischeri M(osquensis) non differt a Westermanni D(resdensi); Matthaeus enim, ut ostendit Gebhardt l. l., furto ablata ex cod. synodali folia XX dresdensi bibliothecae vendidit a. 1788. Quae cum Vitellio nondum comperta essent, similitudo tamen lectionum tanta inter D et M esse videbatur ut altero inspecto alterum neglegi posse ille arbitraretur.

§ 5. E denique classem (Vit. 252—5 et 341—73) constituunt

vatic.-palatinus gr. 143 (Stevenson, p. 74) chart. s. XV
parisinus gr. 2551 (Omont, III 2) chart. s. XVI
cantabrigiensis collegii S. Trinitatis 442 (Catal. mss. Angliae et Hiberniae, I 98^b sq.)
oxoniensis bodleianus misc. 104. auct. F. 4. 5 (olim 2290; Catal. mss. Angliae et Hiberniae, II 118; Coxe, p. 679 D) chart. s. XVI
parisinus gr. 2860 (Omont, III 51) chart. s. XV
venetus marcianus 509 (Zanetti, p. 273) chart. s. XV
laurentianus 56, 20 (Bandini, II 319 sq.) chart. s. XV.

Codices huius classis praefationem omittunt, capp. continent XXXV hoc ordine disposita: VI—IX. LI. X—XIX. I—V. XX. XXIII—XXXVI. Deest in marciano cap. XXXVI; laurentiano exciderunt capp. VI—IX. LI. X—XIII in., habet idem praefationem ex aldina editione (v. Vit. 313 sq.) descriptam et capitis XIII initium manu recentiore exaratum.

Omnium huius classis codicum archetypum restituit Vit., p. 349—73.

§ 6. Singularis condicio est codicis
u = Vallicell. F. 68 chart. s. XIV.

Classi enim E lectionum varietate proxime accedit, ordine autem numeroque capitum ab ea differt: praefationem continet et capp. I—V. XX. XXIII—XXXV. XXII. LII (quod caput unus hic liber servavit). VI—XIX. XXXVII. Turbato, ut arbitror[1]), archetypi foliorum ordine capp. VI—XIX a proximis V et XX avulsa sunt; simili autem causa in E eadem capita praemissa sunt illis quibus sequi debent. Est ergo, ut mihi quidem videri solet, codex hic paene medius classium A et E, testaturque ipse de classis E origine ex codice aliquo classi A satis affini sed magis integro, quem neglegenter sane descriptum, minime tamen spernendum fuisse arbitramur. Lectiones

1) Vide quae de hac re disputavi in *St. F.* IV 187 sq.

igitur vallicelliani tantum non omnes in apparatum meum recipiendas duxi.

§ 7. Ex codicibus A classis, qui unius libri *p* lectiones noverit, archetypum ipsum nosse iure dicatur; concinunt enim plerumque cum *p* codices alii duo ceteris potiores *i* et *v*, quorum discrepantias afferre perraro operae pretium videbatur; matritensis autem, vaticani, harleiani nullum esse usum Vitellius docuit.

Ex B classe tres codices in censum veniunt: *k l x*. Hi notae sunt satis bonae, lacunis tamen interdum gravibus laborant, quibus explendis ceterae classes opportune adsunt. Horum trium librorum lectiones in apparatu meo neglegi non potuisse facile intelleget quicumque libellum vel obiter inspexerit. Patet autem nullam fuisse causam cur e tribus unus ceteris praeferri deberet.

At S classis nullus codex negligi potuit impune; quamquam *h* et *n* librorum tanta inter se similitudo est ut plerumque amborum lectiones una littera (*y*) notatas proferre licuerit. Sed, ut dixi, mutilus est magna ex parte codex *n*, in qua tractanda unius *h* subsidio acquiescendum fuit.

§ 8. Antequam harum quattuor classium partitio esset perspecta, duas codicum quasi familias distinguebant tamen viri docti, quorum opinio quodammodo etiam nunc confirmatur, quod A cum E et B cum S affinitate iunguntur.


Duas igitur *recensiones* habemus, breviorem alteram A E, alteram ampliorem B S. Breviorem genuinam, interpolatam alteram Fischerus putaverat; Westermannus autem, cum neutram vere palaephateam, ut ait, crederet, tutius arbitrabatur a principio sic instituere ut simul utramque repraesentaret, alteram ex adverso collocatam alteri. Quod consilium Boyseno quoque probatum rectum mihi ante haec duo lustra videbatur, cum de Palaephato primum publice dissererem[1]; etsi iam tum re nondum satis ex-

---

1) *Intorno all' opuscolo di Palefato de incredibilibus Considerazioni* (Firenze-Roma 1890) p. 68 sq. cfr. p. 10 sq.

plorata contenderam breviorem recensionem ex altera excerpendo conflatam esse, et copiosiorem illam multo magis esse dignam quae diligenter restitueretur. Vitellio quoque[1]) visum utramque recensionem simul edendam esse; quo in consilio adeo ipse demum acquieveram ut etiam defendendum sumerem adversus E. Schwartzium, qui monebat ne recensionibus illis contenti essemus, sed Palaephatum ipsum restituere conaremur.[2])

§ 9. Sed postea, etiam atque etiam facto periculo, sensi paulatim ad unum fontem paulo antiquiorem, unde utraque recensio manasset, aditum quendam patere, cui nolle accedere summae iam desidiae videretur. Non quo Palaephatum ipsum, codicum nostrorum archetypo restituto, in vitam quasi revocari posse sperarem; ut enim iam diu mihi persuasum est, partim ex palaephateis, partim ex aliis eiusdem farinae opusculis, variis temporibus collectio haec videtur conflata. Sed, ut ad propositum redeam, quales inter nostras recensiones affinitatis gradus intercedere mihi persuaserim, ex appicto diagrammate cognosces.



1) Vit. l. l. p. 378.
2) E. Schwartz in *Berl. Phil. Wochenschr.* 1894, p. 1576 et 1578. N. Festa in *St. F.* IV (1896) p. 250 sq.

§ 10. Ut haec ita statuerem movit me in primis haud exiguus lectionum numerus in quibus A cum S contra B consentit. Exempla ex capp. I—XXVII liceat afferre. Utor hic, ut in apparatu, signo S* pro S + A, litteris enim *Ω Ψ Φ* passim uti operarum labor fore videbatur prorsus inutilis.

	S*	B
p. 2, 1	ἔγωγε	ἐγὼ
2, 4	ποιηταὶ καὶ	ποιητικοὶ
2, 7	λέγεται	λέγονται
3, 11	ὑπωρείας	ὑπερορίας
3, 19	τοῦτον τὸν τρόπον	μετὰ τοιοῦδε τρόπου
4, 3	πρόσεστι ταύρου	πρόσεστιν ἵππου
4, 16	εἰς	ἐπὶ
7, 16	πλείονα et συλλαβεῖν	πλεῖστον et λαβεῖν
8, 13	ἄνδρες τε καὶ ὅπλα	ἄνδρες ὁπλῖται
9, 4	ἀληθὲς	ψευδὲς
10, 2 sq.	τοῖς Θηβαίοις	τοὺς Θηβαίους
10, 14 sq.	αἴνιγμά τι	αἰνίγματα
11, 16 sq.	ὃν ἧκεν ὁ κάδμος ἄγων	ἧκε κατὰ τοῦ κάδμου καὶ
13, 2	φέρειν	φεύγειν
13, 11 sq.	ἀφικνεῖται	ἔρχεται *l*: καλεῖται *kx*
13, 13	οὗτος	καὶ αὐτὸς
15, 3	πλουσιώτατος ὃς	πλούσιος ἕως
15, 10	περὶ	κατὰ
17, 7	λυγκεὺς	οὗτος
17, 9	μεταλλεύσει	μεταλλείᾳ
19, 3	ὁρῶντες	βλέποντες *lk*[2]: λέγοντες *xk*[1]
20, 7	ὡς	ὅτε
21, 9	om.	ἰδόντες ⟨δὲ *k*⟩ τούτους
21, 12	διεφήμιζον	διεφημίσαντο
24, 9	καὶ καθελόντες	εἰς
25, 7 sq.	αὐτοῦ	αὐτῶν
26, 2	ἡ ἀλήθεια ὧδε	ὧδέ πως τὸ ἀληθές
27, 2 sq.	τὸ δὲ ἀληθὲς οὕτως (τοιοῦτον *h*)	ἔχει δὲ ὧδε
28, 2—4	κυνῶν δὲ ἐντεῦθεν προσπεφύκεσαν κεφαλαί[1]), τὸ δ' ἄλλο σῶμα ὄφεως	κύων δὲ τὸ λοιπὸν σῶμα· ἐντεῦθεν προσπεφύκεσαν κεφαλαί

1) Leviter in A(E) verborum ordinem immutatum invenies.

p. 29, 6	καὶ ἀγαλματοποιοὶ	om.
33, 2	διαφέρων	ὑπερφέρων τῶν ἄλλων
36, 9	ψευδόμενος αὐτός (αὐτοῖς *y*)	om.

§ 11. Horum exemplorum duplicatur fere numerus, si locos respicias quibus non tota S classis, sed unus alterve codex cum A(E) contra B concinit, ut puta

	*d**	B	*h*
p. 5, 7	ἀπίστως	ἄπιστος	om.
7, 11	τὰ κατ'	καταντᾶν	κατάγειν
8, 7	προεισπέμπει	προπέμπει	πέμπει
11, 12	μετὰ δὲ καὶ	μετὰ τοῦτο δὲ	καὶ
14, 8	ἢ	ὡς καὶ	om.
14, 12	ἔτρεφε	ἔτρεφεν ἀεὶ	
15, 6	δειλέ	δείλαιος	
19, 6 sq.	τούτου τοῦ λόγου	τούτων τῶν λόγων	
27, 3	οὕτως	ὧδε	τοιοῦτον
28, 9	πολλάκις	πολλὰ κακὰ	
31, 5	ἀσήμου	ἀνέμου	

	*d**	B	*h m*
20, 3	ἀμήχανον	ἀδύνατον	ἀπίθανον
21, 5	εἰσέρχεται	εἰσέρχονται	<εἰσ-*h*>έρχονται
ibd.	μιχθησόμενος	μιχθησόμενοι	
23, 1	ὅ τε	καὶ ὅτι	ὁ δὲ

	*d h**	B	*m*
21, 12 sq.	ἀταλάντην καὶ μελανίωνα	μελανίωνα καὶ ἀταλάντην	ἀταλάντη καὶ μιλανίων (om. οἱ περὶ)

	*h**	B	*d*
5, 13	μιγῆναι	μιχθῆναι	
6, 8	om.	πρῶτον μὲν	
7, 10 sq.	τοῖς βουκόλοις	τῶν βουκόλων	τῷ βουκόλῳ post ras.
7, 15	οὕτω	τούτοις	οὕτως
9, 15	ἀλλαχῇ	ἀλλαχοῦ	ἀλλᾶ (χ superscr.)
14, 9.	οἱ	om.	
18, 12	αὐτὸς	αὐτός τε	
27, 8	οὖν	δὲ *l*: δὴ *k x*	δὴ

		h*	B	dm
p. 25,	6 sq.	ὅτι καὶ	ὅτι (καὶ ὅτι x^1)	ὅτι

		hm*	Bd
19,	8	κἀκεῖνος	ἐκεῖνος
25,	3	τούτου	τούτων

		y* (= h + n*)	Bd
36,	5	ἐν	ἐπὶ

§ 12. Ne tamen putes totam codicum A(E) recensionem a codice aliquo classis S derivatam ideoque nobis neglegendam ostendi posse. Primum enim patet concinere interdum eam cum B contra S, ut v. g.

		S	B*
p.	5, 10	περὶ πασιφάης (ταύτης d)	om.
	7, 15	οὖν	δὲ
	17, 13	ἀναφέρει h: παραφέρει d	περιφέρει
	24, 3	παρὰ	περὶ
	25, 4	γὰρ	δὲ
	28, 11	λαμπρῷ	λαύρῳ
	38, 12	κεῖσθαι	εἶναι

Deinde locos afferre possum nonnullos quibus codicum A(E) lectiones anteponendae videntur lectionibus quas codices AS singuli vel cuncti praebent:

			AE	BS
p.	1,	3 sq.	ὡς ἀνομίλητοι σοφίας καὶ ἐπιστήμης, οἱ δὲ πυκνότεροι τὴν φύσιν	οἱ δὲ πυκνότεροι τὴν φύσιν ⟨καὶ d⟩ ἀνομίλητοι σοφίας
	2,	4	τινα	τινων
	3,	4	ἂν ὑπῆρχε	ὑπῆρχεν ἂν l: ὑπῆρξε⟨ν d⟩ kxhd: ἂν ὑπῆρξε m
	4,	6	οἱ κένταυροι	om.
	14,	2	τοῦτο δὲ ψευδές (cfr. 17,7)	om. utrobique
	ibd.		γὰρ	δὲ
	14,	3	πάντας	πᾶσαι
	16,	1	ὄντων	τῶν (om. h)
	16,	3	ἅτε τὴν γῆν ἐργαζομένων	τουτέστι τῇ αὐτουργίᾳ B: ἅτε ὀλίγων (sic) τὴν γῆν ἐργαζομένων d: om. h
	28,	9 sq.	πολλάκις εἰργάζετο βρῶμα	πολλάκις εἰργάζετο d: πολλὰ κακὰ εἰργάζετο B

p. 34, 5	*ἐπιθέντα*	*ἐπιτιθέντα* S*l*: *ἐπιτιθέντος* *k*: *προσεπιτιθέντα* *x*
45, 4	*ἔβλεπον πᾶσαι*	*ἔβλεπεν* *kl*: *βλέπειν* *d*: om. *xy*
45, 9	*ταύτην τῷ*	om.
47, 3	*ἑταῖρος*	om.
55, 11	*αὐτὸν*	om.
56, 10	*κατὰ κώμας*	*κώμας*
59, 6	*τοῦ εὐρυσθέως*	om.
60, 2	*μέλλοντός ποτε*	*μέλλοντα τότε* *d*: *μέλλοντος τότε* cett.
61, 11	*ὡς ὁ μῦθος φησί*	om.
64, 4	*ἀφέψουσα*	*ἀφεψοῦσα* S: *ἐφέψουσα* B
65, 2	*ἐπυρία οὖν*	*ἐπυρίαζε* ⟨*γὰρ* *l*⟩ B: om. *y*; *d* quid habeat incertum
66, 5	*ἔρωτι*	*ἐρῶν* (om. *y*)
66, 6	*αὐτῇ*	*αὐτῆς* B: *αὕτη* *d*: *αὐτὴν* *y*

§ 13. His et huiusmodi locis perpaucis aliis exceptis, aut consentiunt AE cum BS, aut corruptelas et varietates exhibent prorsus neglegendas; quas tamen, ne omnino silentio praeterirem, in inferiore apparatus parte, quoad fieri potuit, rettuli. Pars superior una cum lectionibus BS quicquid bonae frugis ex A(E) colligi potest stellulis adiectis indicat, ut ex siglorum conspectu lectoribus facile patebit.

Ex classibus denique B et S utram pluris faciendam ducerem lacunae primum indicabant graves nonnullae quibus codices B laborant. Non modo enim c. XXXIV omittunt et capitis XXXVI ne illud quidem frustulum servarunt quod in S* legitur, sed integras lineas in contextu servatorum capitum nonnunquam omiserunt. In exemplis afferendis omissa verba fractis uncis circumsaepsi:

p. 4, 8 sqq. *καὶ δὴ καὶ κατὰ* ⟨*αὐτοῦ τοῦ Ἰξίονος, ὃς ᾤκει τὴν νῦν καλουμένην Λάρισσαν πόλιν· τότε δὲ ἐκαλοῦντο οἱ*⟩ *τοῦτο τὸ χωρίον οἰκοῦντες Λαπίθαι*

p. 4, 16—5, 2 *ἡμέρας γ*⟨*ενομένης*⟩ *ἀρ*⟨*πάσαντες καὶ ἐμπρήσαντες ἀπέτρεχον ἐπὶ τὰ ὄρη. οὕτως ἀπι*⟩*όντων κτλ.*, unde *ἡμέρας γὰρ ὄντων* B!

p. 11, 14—16 *πείσασα* ⟨*πολλοὺς τῶν πολιτῶν συναπᾶραι*

αὐτῇ καὶ τῶν χρημάτων τὰ πλεῖστα ἁρπάσασα⟩ καὶ τὸν ποδώκη κύνα κτλ.

p. 15, 7—9 ὃς ὑπὸ τῶν ἰδίων κυνῶν κατεβρώθη, ⟨ὥσπερ καὶ νῦν, ἐάν τις πορνοβοσκῶν ἀτυχήσῃ, λέγειν εἰώθαμεν ὅτι ὑπὸ τῶν πορνῶν κατεβρώθη⟩. τοιοῦτον κτλ.

p. 36, 6—8 καὶ διακολυμβήσας ⟨εἴς τινα τόπον καὶ μὴ ὀφθεὶς τοῖς οἰκείοις ἡμέρας ἱκανάς, διακολυμβήσας⟩ πάλιν ὤφθη κτλ.

p. 37, 1—4 Γλαῦκος θαλάσσιος ἐκλήθη, ⟨ὥσπερ νῦν εἴ τις ἐν ὄρει οἰκῶν καὶ ὢν ἀγαθὸς θηρευτὴς ὄρειος ἄνθρωπος καλοῖτο. οὕτω καὶ ὁ Γλαῦκος τὰ πλεῖστα ἐν θαλάσσῃ διατρίβων Γλαῦκος θαλάσσιος ἐκλήθη⟩.

p. 51, 4 sq. ἀπὸ τοῦ ὄρους αὐτάς ⟨. ὁ δὲ θυσάμενος τῷ Διονύσῳ ὄργια κατάγει αὐτὰς⟩ βακχευούσας κιθαρίζων.

praeterea cfr. p. 41, 10—42, 1. 46, 3 sq.

His adde nomina propria locis quibusdam difficilioribus ut p. 46, 10. 47, 10, de quibus infra dicendum erit, omissa. Praeterea lectiones omnes quas cum siglo S* afferre possumus tam multae sunt et plerumque tam bonae, ut id quoque nobis suaserit ne primas partes codicibus B tribueremus, quibus secundas nemo sanus negaverit.

§ 14. Attamen classis S ea condicio est, ut ubicumque eius ope seorsum a ceteris classibus uti cogamur, non nisi in lubrico pedem ponere videamur. Primum valde mutili sunt, ut dixi, codices *m* et *n*; dresdensis autem, cui tantum Westermannus tribuebat ut paene ceteris omnibus anteponeret, et mendis plerumque scatet et saepissime contra ceterorum eiusdem classis consensum ad codices A(E) proxime accedit. Fuit cum crederem ex diversarum classium codicibus contaminatione hunc ipsum codicem vel eius exemplar esse conflatum. Unus tamen *d* servavit in Phrixi capite locum perdifficilem (infra p. 43, 10 sqq.) quem ceteri corruptela ipsa fortasse deterriti omiserunt. Codicis *h* multo maior est auctoritas, propterea quod simillimus est codici *n*, quem optimae notae esse iam Fröhnerus viderat. Cum autem codicis *n*

ea pars quae ad nostram pervenit aetatem adeo plerumque cum *h* consentiat ut una littera (*y*) amborum lectiones notare in apparatu licuerit, vix errabimus si tantundem fere in priore opusculi parte alteri codici tribuerimus quantum in posteriore utrique.

§ 15. Archetypi fideliorem plerumque memoriam codex *y* (vel *h*) praebet; unus certe in desperato sane loco p. 50, 3 nominum vestigia servavit, quorum etsi nemini adhuc satis certam licuit emendationem proponere, vetusta tamen origo in dubium revocari posse non videtur. Etiam capitis XXXV initium (v. infra p. 52, 9), praeter corruptum, ut arbitror, *εἶπον* in *εἰπὼν*[1]) et vetus illud glossema *φασί*, integrum fere servavit; emendandi conamen parum idoneum in *d* possumus deprehendere: *τὰ ἄλλα φασὶν οὗτος* (sic) *καὶ*. Codices autem B utrumque *καὶ* una cum interiacentibus verbis omiserunt. Quod denique in codicibus A(E) pro capitis eius initio legitur, olim scholium fuisse ad verba *τἄλλα φαύλως* crediderim. Alio loco foeda codicum B*d* interpolatione p. 57, 6 *ἀπὸ τούτου* caret *y**; vult enim auctor ostendere quo pacto ex h y d r a nomine et arcis custodibus quinquagenis orta sit fabula de serpente quinquaginta capitibus praedito; at verba *ὄνομα δὲ ἦν τῷ πολιχνίῳ ἀπὸ τούτου* (*τοῦ d*!) *ὕδρα* scribere non potuit nisi qui vulgatam iam putabat eam hydrae imaginem cuius origo hoc loco nondum explicata erat!

Nec tamen desunt loci quibus minus fidenter codicis *y* ope uti licet; tales enim a ceteris codicibus discrepantiae oriuntur ut librarius ille nonnunquam summo arbitrio in conformanda dictione usus videatur, nisi forte ex alio prorsus fonte hausisse dicendus est. Exemplum afferre licet ex p. 36, 5 sq., ubi *δρώντων αὐτὸν τῶν ἀπὸ τῆς πό-*

---

1) Fuit cum *φασὶ* deleto codicis *y* lectionem immutatam servari posse arbitrarer, modo caput XXXIV his verbis continuaretur ita ut *εἰπὼν* ad *λόγος* referretur. Id obiter moneo capitum inscriptiones auctoritate plerumque carere, neque esse cur libellum inde ab origine in capita divisum credamus.

λεως καὶ διακολυμβήσας archetypi lectionem fuisse vel illa quam supra (§ 13) notavi codicum B lacuna testatur; legitur autem in *y ἐπὶ πολλῶν ὁρώντων εἰσελθὼν*! Multo plura id genus notanda sunt in cap. de Medea, praesertim p. 64, 8—65, 7, qui locus infra (§ 30) fusius tractabitur. Accedunt minoris ambitus loci complures, quibus tantum abest ut uni *y* contra ceterorum codicum consensum accedendum putem, ut potius apparatum criticum innumeris illis omissionis inversionis depravationis notis liberandum esse censuerim. Variarum lectionum supplementum, omnes eiusmodi ineptias complectentem, ne libelli molem praeter necessitatem augerem seorsum edidi (*St. F.* IX, 495—507).

Ceterum ne S* quidem satis tutum ubique recensionis fundamentum praebet. Ante *ἔφη* p. 36, 9 vetus emblema, quo B recte caret, irrepsit *αὐτὸς ψευδόμενος* A, *ψευδόμενος αὐτὸς d*, *ψευδόμενος αὐτοῖς y*; interpolationis formam genuinam servavit *y*. Item p. 32, 11 nullus dubito quin *δέ φασιν* recte tradiderit B; particulam autem, quae coniunctorum olim inter se capitum indicium esse potest, omisit S*. Lacunam p. 45, 4—6 in S facile supplent A(E).

§ 16. Ut paucis ergo rem absolvam, ex quattuor codicum classibus duae, B et S, pro fundamento fuerunt, unde et rerum ordinem et pristinam libelli formam quoad fieri posset revocarem, reliquas autem duas quasi subsidiarias habui, ut vel priores firmarent vel illis deficientibus possent subrogari. Perspicuitati autem consulens duplicem binarum classium apparatum institui ut in imis paginis peculiares codicum AE lectiones colligerem quae meo iudicio archetypo restituendo parum prodessent. Singulorum codicum varietates quae parvi ad rem propositam vel nullius momenti esse videbantur, in supplementum, ut dixi, relegandas curavi.

Summae difficultatis interdum inter codicum lectiones delectus erat ut singulis locis pristina opusculi forma restitueretur. Nam illa ipsa codicum S* concordia, qua firmandis aut emendandis codicum B lectionibus fidenter saepissime usus sum, nonnunquam ex valde antiqua inter-

polatione vel depravatione orta videri poterat, ut puta p. 5, 6 pro καταтρέχουσιν verba κατατρέχοντες πολλὰ κακὰ ἐργάζονται a codicis Ψ interpolatore loci simillimi p. 13, 11 prorsus immemore scripta esse dixeris. Eiusmodi exempla in fine § 15 iam dedi.

Interpolationis exemplis sunt adnumeranda nomina quaedam propria locis nonnullis adiecta, miserae eruditionis testimonia, ut p. 27, 8 καὶ Γύγης; 20, 10 Ἰκαρίῳ BS; 41, 4 εἰς φθίαν y; 44, 5 Χαλκιόπην l; 66, 5 λυκομήδην B, λαμήδη d. Eiusmodi emblema fortasse adhuc latet p. 28, 12 ἐν Κερκύρᾳ. Cfr. ad p. 4, 6 in § 23.

§ 17. Codicum nostrorum archetypus qualis fuerit iam coniectando assequi licuit. Capitum inscriptionibus, fortasse etiam divisionibus caruit, praefationem habuit, non capita a Palaephato aliena XLVI—LII, quae ex rhetorum, scholiastarum, grammaticorum officinis in A illata esse in apertissimo est. Fuit autem, ut arbitror, fons eius primarius codex quidam minusculis litteris saec. X vel XI exaratus, qui litteras habuit simillimas duas: κ et β. Utriusque formam latinae litterae u propius accessisse credibile est. Igitur κοιω (τ superscr.) p. 66, 11 alii recte βοιωτ(ίαν), alii perperam κοιτω legere potuerunt. Simili errore ortum puto p. 54, 2 sq. εικοσι ex κuoει h. e. ει(ς) βοραν; compendii autem ι pro αν syllaba etiam in obscuro illo παραξίθοαι p. 50, 3 vestigium latere suspicor, ubi nil propius adest quam παραξάνθιοι (v. infra § 29). Fontem alterum antiquiorem litteris maiusculis exaratum uno loco p. 36, 10 dispicere licuit. Eodem fortasse ducunt τι ante π omissum p. 1, 11 et *THI IΔIAI* ex *THI AoNIAI* p. 8, 12 corruptum, ut mihi quidem videri solet (v. infra § 24). Lituras vel lacunas in archetypo eiusve fonte fuisse testantur p. 23, 11 αρ⟨ιστεις⟩, 32, 12 σωμα ⟨ᾱ⟩, 61, 3 ε⟨ντυ⟩χων. Accentus in codice maiusculis litteris scripto defuisse satis probabile est; cfr. και που 41, 7 sq. et του 56, 8.

§ 18. Vides igitur ad codicum nostrorum archetypum proxime iam nos accessisse. Hoc tamen inter Schwartzii

clarissimi viri et meam sententiam adhuc differt, quod ille Palaephatum ipsum per codicum discrepantias recuperari posse arbitratur, ego non ita. Hic enim, quem pro viribus restituere conatus sum, libellus magnopere plerumque rebus verbisque distat ab opere illo palaephateo, quo veteres scriptores a Theone rhetore ad Eustathium usos esse constat. Qua de re confer quae in dissertatione mea scripsi p. 22—26 et in *St. F.* IV, 228 sqq.; praeterea cfr. alteram Prolegg. partem, p. L sq. Uno tantum capite quod de Centauris est (p. 4, 2 et 5, 1) Eustathium conferre licuit. Aliis locis veterum testimonia ad libellum *περὶ ἀπίστων* emendandum nihil valere iam diu mihi quidem persuasum est. Ceterum, si per bibliopolam honestissimum licebit, omnibus eiusmodi fabellis e veterum scriptis in unum corpus collectis tamquam supplemento Palaephatum hunc meum augere in animo est; quo facto uberius et clarius de toto hoc genere disseri poterit. Illud potius vereor ne quis, re parum cognita, crimini mihi vertat quod ex Michaelis Apostolae proverbiis notatas varias lectiones a Westermanno religiose laudatas ego silentio praetermiserim. Integra enim capita ex hoc *περὶ ἀπίστων* libello suum in usum descripsit Apostoles, ut ex hoc (quem Geislerus confecit) poteris conspectu cernere:

Palaeph.	I	=	Apost.	IX 73	*Κενταύρων ὕβριν μεμίμηται*
„	II	=	„	XIII 16	*Οὐ δεῖ μιμεῖσθαι τὸν Πασιφάης τρόπον*
„	VIII	=	„	XII 11	*Νιόβης πάθη*
„	IX	=	„	X 79	*Λυγκέως ὀξύτερον ὁρᾷ*
„	X	=	„	IV 19	*Ἄτρωτος ὑπάρχεις ὡς ὁ Καινεύς*
„	XII	=	„	V 80	*Δαιδάλου ποίημα*
„	XVIII	=	„	XI 57	*Μῆλα Ἑσπερίδων μοι ἐδωρήσω*
„	XIX	=	„	IX 98	*Κόττου ἰσχυρότερος καὶ Βριάρεω*
„	XX	=	„	XVI 49	*Τὴν Χάρυβδιν ἐκφυγὼν τῇ Σκύλλῃ περιέπεσον*
„	XXII	=	„	XVIII 68	*Ὡς τοῦ Φινέως τὸν βίον*
„	XXIII	=	„	XI 21	*Μεταβλητότερος Μήτρας*
„	XXIV	=	„	XVII 34	*Τρικέφαλε Γηρυόνη*

Palaeph.	XXV	=	Apost.	V 47	Γλαῦκος ἄλλος ἱππόβρωτος
„	XXVI	=	„	V 48	Γλαῦκος πιὼν μέλι ἀνέστη
„	XXVII	=	„	V 49	Γλαῦκος φαγὼν πόαν οἰκεῖ ἐν θαλάττῃ
„	XXVIII	=	„	XIV 28	Πηγάσου ταχύτερος
„	XXX	=	„	XI 58	Μὴ θεᾶς ἄνθρωπον ὡς Ἀθάμας
„	XXXI	=	„	V 58	Γοργόνα Περσεὺς ἐχειρώσατο
„	XXXIII	=	„	XVI 56	Τῆς Ὀρφέως ἀπόξεις κιθάρας ἐν τῷ λέγειν
„	XXXVIII	=	„	XVII 49	Ὕδρας κεφαλὰς τέμνεις
„	XL	=	„	II 38	Ἀλκήστιδος ἀνδρεία
„	XLIV	=	„	XII 74	Ὀμφάλῃ Ἡρακλῆς λατρεύει
„	XLV	=	„	II 53	Ἀμαλθείας κέρας
„	XLVI	=	„	XVIII 63	Ὡραιότερος Ὑακίνθου
„	XLVII	=	„	XI 6	Μαρσύας κομπάζων ἐρίζει
„	XLVIII	=	„	XVII 80	Φάων ὑπάρχεις τῷ κάλλει καὶ τὸν τρόπον

§ 19. At ego quicquid Apostoles ad meum opus recte peragendum conferre posset diligentissime expendi. Praeter Leutschii editionem praesto mihi fuerunt codicis Angelicani 27 (olim C. 3. 17) et Vratislaviensis Rehdigerani 362 collationes uberrimae, haec a clarissimo viro Eugenio Geisler, illa a Vitellio meo parata. Vix uno alterove loco Apostolae frugibus utendum esse mihi visum est; v. praesertim p. 32, 11 et infra § 27. Illud tamen nota dignum videtur quod codicis *p*, quem, ut vidimus, sua manu descripsit, lectiones non ubique sequitur in narrationibus quas proverbiis suis inseruit Michael. Et sane qui paupertate urgente codicibus describendis operam sedulo daret, palaephatei quoque libelli variis temporibus varia exemplaria in manibus habuisse satis per se verisimile est. Ex collationibus autem patet codicem illum quo in proverbiis usus est Apostoles proxime ad codices classis AE accessisse; maiorem illi tamen cum E*a* quam cum A*e* affinitatem fuisse docet locus p. 48, 8 προσκτενεῖν, fortasse etiam 49, 6 ubi inter ἥκει A et ᾔει E*a* habet Apostoles ᾔτει. Accedit autem nonnunquam ad codices classium B et S omnes vel partem ut 3, 11 ὑπερορίας (B), 3, 5 πηλείω (*lh*); in omissis τῆς p. 5, 8 et αὐτοὶ p. 27, 10

concinit cum *h*; partim cum *l* in lectionibus p. 32, 8 *ἐγένετο ἡ μήτρα* et 34, 10 *πλείονος αὐτῷ*, item cum *y* p. 48, 8 *εἰ μὴ εἴποιεν*. Uni *a'* proximus adest p. 28, 4 *πολὺ εὔηθες*. Aliis locis nonnullis aut pro arbitrio mutasse aut ignotum nobis codicum genus descripsisse dicendus est: 2, 16 *πείθεται*] *πιστεύει*; 3, 1 *τροφὴ*] *μορφή*; 3, 17 *ὑπ-(ἀν-* A)*έφευγον*] *ἔφευγον*; 4, 6 *παρὰ — χρήματα*] *τὰ Ἰξίονος χρήματα*; 4, 9 *νῦν* om.; 4, 14 *εἰς τὴν οἰκίαν φεύγοντες*; 5, 11 *νεμομένου* ⟨*ἡ πασιφάη*⟩; 7, 3 *χρόνον*] *φόρτον*; 17, 7 *ψευδές* BSE: *ψεῦδος* A] *ψευδῶς*; 20, 6 *ἐμβὰς* ⟨*σὺν τῷ Ἰκάρῳ*⟩; 26, 7 *μῆλα δὴ* (pro *δὲ*; ita saltem in Vratislaviensi, nam caput omittit Angelicanus); 27, 8 sq. *καὶ Γύγης* recte om.; 30, 8 *ὃν γέροντα γεγονότα*; 32, 7 sq. *ἀθροιζόμενοι τῷ ἐρίχθονι* (sic Vratisl. et Angel.); 32, 11 *Γηρυόνην δέ φασιν*] *φασὶ γὰρ Γηρυόνην*; 34, 2 *ἀποθανόντος* ⟨*οὐ τοῦ σισύφου*⟩; 35, 8 *καὶ οὗτος ὁ* om.; 36, 6 *ἀπὸ τῆς πόλεως*] *πολιτῶν*. Praeterea in cod. angelicano ad p. 16, 10 addita sunt nonnulla quae palaephatea De Geldero videbantur. De his confer supplementum p. 499.

§ 20. Codicis loco, ut dixi, habenda mihi fuit editio aldina (Venetiis a. MDV) quae, etsi plerumque cum *e* consentit, habet etiam lectiones peculiares. In his menda typographica (quae vide sis apud Vitellium p. 311) ne in supplemento quidem recensui. Apparatum meum inspicientes meminisse oportet codicum *a*, *e* et *a'* ($= a + e$) lectiones omissas esse quotiescunque ab A nihil differrent.

De codice quo interpres latinus Pisauri per Soncinium editus a. MDXI usus sit parum adhuc est compertum. In universum videtur codicem aliquem ex A familia, cui tamen nonnulla cum BS, alia sibi propria essent, ignotus ille nec satis graecae linguae peritus adhibuisse.[1]) Apparatum meum praeter necessitatem auxissem, si eiusmodi nugas rettulissem. Tamen silentio praeterire non possum p. 2, 10 'quae ipsi accepissent' firmare quodammodo Vitellii coniecturam *ὅσ' ἀκούοιεν*; 61, 15 'paulo labore

---

1) Plura de hoc libello in *St. F.* X referam.

solutus' ad eam quam in adnotationibus exposui loci huius interpretationem propius accedere. Praeterea interpretis codex communem habuit cum *u* p. 1, 10 ποτὲ ('aliquando') et cum *e* (v. addenda) 24, 4 ἀργῶν λόγος καλεῖται ('occiosorum sermo nuncupatur'). Denique p. 68, 7 vocem ἀναίρεσιν aut in codice suo oblitteratam invenit aut quomodo verteret nescivit bonus interpres, qui propterea, 18—20 litterarum spatio interiecto, locum sic reddit: 'erat discus qui ad illius serviebat'.

§ 21. De editionibus multa essent dicenda, nisi mutatae omnino post Vitellii studia recensionis et emendationis palephateae rationes novum quasi iter me ingredi coegissent. Tamen Fischeri curis plurimum me debere libenter fateor. De Westermanni copiis non est quod dicam. Illius certe editionem, quae in manibus est eritque donec nova mythographorum collectio absolvatur, perpetuo respexi; capitum numeros, paginarum quoque et linearum ubique ex ea apposui. Bonae frugis aliquid ex antiquioribus editionibus post talium messorum terga colligere vix licebat. Bibliographicum qui dicitur indicem conficere variasque editorum singulis locis hariolationes referre putidissimae diligentiae esse duxi. Eiusmodi nonnulla in epimetrum (infra p. XXXII) distuli, multo plura omnino reieci, ut quae oblivioni iam pridem optimo iure sint tradita.

§ 22. Subsidia accesserunt insperata Valckenarii, Piersoni, Oudendorpii, Hemsterhusii, Ruhnkenii notae autographae ex Bibliothecae Leidensis thesauris liberalissime Vitellio meo traditae, qui pari liberalitate mihi pro arbitrio utendas permisit. Valckenarii notae partim exstant in cod. Leid. bibl. publ. Lat. 394, partim in marginibus exemplaris Galeiani (Amst. 1688) quod in eadem Bibl. asservatur (756. G. 3). Patet virum doctissimum copias uberrimas Palaephato adornando paratas habuisse; quibus quam valde adiutus sim ex apparatu meo aestimare non licet; sed iterum atque iterum gratum erga illius memoriam profiteri me non desinam. Piersoni notae in cod. eiusd. bibl. Lat. 551 servantur; Oudendorpius in exem-

plaris Tolliani (755. G. 13) marginibus Gruteri notas Basileensis editionis exemplo appositas (756. G. 5) partim descripsit, partim suis vel Valckenarii coniecturis auxit, oxoniensium codicum et Apostolae lectiones adiecit. Duo praeterea Galeiana exemplaria (756. G. 2 et 756. G. 1) notis manu scriptis Tib. Hemsterhusii et Dav. Ruhnkenii paucis quidem ornata sunt. Omnia in meum usum quoad fieri potuit convertere conatus sum.

Iam loci nonnulli singillatim ex paginarum ordine quam brevissime tractandi erunt.

§ 23. P. 1, 4 *πολυπράγματοι* vocabulum minus vulgatum praetuli, quo posito facilius explicantur codicum varietates: AE enim vocem magis usitatam *πολυπράγμονες* substituerunt, S autem *πολυπραγματ*ᵅ˘ casu aliquo ex *πολυπράγματ*ᵅ factum in exemplo suo habuit; inde *πολυπραγματείας* *d* fideliter expressit, synonymum, ut saepe solet, substituit *h*. — 1, 9 sq. olim Wopkensii emendationem (v. *Lectiones tullianae*[2] p. 160) *καὶ γεγονέναι ποτὲ* partim receperam; blandius remedium in Valckenarii notis inveni *ὡς γενόμεναι*, quod Westermannus quoque probavit. — 2, 10 v. supra § 20 extr. — 3, 6 casu tantum a codicibus AE nunc illud *ἥτις* abesse probat interpres Soncinianus, de quo dixi supra § 20 extr.; ceterum cfr. quae iam Wipprecht p. 32 adnotavit et v. indicem meum. — 3, 16. 19 *ταύτην* et *αὐτούς* ex codd. BS in contextum vix recipienda mihi fuere. — 4, 2 verbum fere inusitatum *κατακεντανύναι* idcirco recipiendum duxi quod ex voce *κατεκεντάννυσαν* omnis in codicibus lectionum varietas facile explicatur; ceterum Ps. Lucianus, Philop. 4 de Iove in taurum converso *τῇ βουπλῆγι κατεκεντάννυτο* hunc locum fortasse respexit. — 4, 6 fort. *οἱ Κένταυροι* delendum; scil. quae mihi visa est codicum BS lacuna, potuit codicum AE glossema esse; cfr. § 16 extr. — 5, 1 *ἐμπρησ[ι]στ*⁊, ut arbitror, in archetypo fuit, unde monstrum illud in cod. *d* *ἐμπρίσταις* exstitit; *h* autem suo Marte mutavit. — 6, 9 sq. diutius mihi perpendenti non modo illud *ζῷα* sed etiam

τοῦ ζῴου et *ἐπ' αὐτὸ* grammaticorum additamenta videntur. — 6, 15 *καὶ τῷ ἀκοντίῳ γε Κεφάλου* frigidiuscule Tollius; ceterum *ἐπὶ τῷ κυνιδίῳ κτλ.* scholium videtur in cod. *Ω* vel in eius apographo (antequam codex *Ψ* inde describeretur) appositum. — 7, 5 fort. legendum *διὰ τὸ ⟨τότε⟩ μὴ συγκ.*, quamquam hic quoque glossatoris manum deprehendere mihi videor. — 8, 7 codicum AE librarios patet *ἐν ᾧ* (*ξίφει*) ita interpretatos ut *ἐν μαχαίρᾳ ἐν ῥομφαίᾳ* Novi Testamenti scriptores usurpant (v. Blass, *Gramm. des Neutest. Griech.* § 38, 1). Sed eiusmodi exempla in libello palaephateo non inveni; interpretor igitur *ἐν ᾧ* (*χρόνῳ* vel *τόπῳ*), malim autem *ἐφ' ᾧ* (cfr. in Exc. Vat. infra p. 90, 8).

§ **24.** "Quid? an Cadmus dentes seminavit in Phoenicia? nugae! lege *ἐν Βοιωτίᾳ γῇ*" Valckenarius. Ego conieci *'Αονίᾳ* (v. supra § 17), quod confidentius in contextum ipsum recepissem, si tunc Antonini Liberalis p. 103, 19 Martini venisset in mentem, et quae E. Oder in libello suo (De Antonino Liberali, p. 17) de his nominibus adnotaverat, recordatus essem. — 9, 1 loci huius corruptela fortasse maior est quam Valckenario videbatur, qui *στρατηγῶν* vel eiusmodi aliquid pro *ἀνθρώπων* desiderabat, *ἀγῶν* autem proponere vix audebat. Latet fortasse mendum in verbis *ἄλλο τι — ἢ*; exempli causa propono *εἰ δὲ τοῦτο ἦν ἀληθές, ⟨πῶς⟩ οὐδεὶς ἀνθρώπων ἄλλοτε ἔσπειρεν ὀδόντας ὄφεων; καί⟨τοι⟩ εἰ μὴ ἐν ἄλλῃ γῇ ἐφύετο, κ. τ. λ.*; expeditior tamen emendandi ratio apparet, duobus emblematis remotis, ita locum restituere: *οὐδεὶς — ἄλλο τι ἂν ἔσπειρεν ἢ ὀδόντας ὄφεων, καὶ εἰ μὴ ἐν ἄλλῃ γῇ [ἐφύετο], ἀλλ' οὖν τέως ἐν ἐκείνῃ τῇ γῇ [ἐσπείρετο] ἐν ᾗ κ. τ. λ.* — 9, 3 *σπείρειεν* Oudendorpius. — 9, 6—9 est in vulgata Thebas adveniens Cadmus *ἔχων ἄλλα τε πολλὰ ὅσα βασιλεὺς καὶ δὴ καὶ ὀδόντας ἐλεφάντων*; sed paulo post, ut ipsa fabulae interpretatio postulat, eburnei dentes Draconis fuisse dicuntur. Verba autem *ἔχων — ἐλεφάντων*, quoad coniectura assequi possum (lacunis praesertim nisus codicum B, de quibus egi § 13), integram fere lineam in

archetypo complebant; tantundem spatii, compendiis modo rarioribus admissis, occupare potuerunt verba ἦν—παῖς. Factus est error facillime oculo ab altera ad alteram lineam aberrante; deinde verba l. 14 κειμένους ἐν τῷ ἱερῷ, quae erant certissimum erroris indicium, tacite suppresserunt AE. — 9, 11 ἔστησαν σὺν pro συνέστησαν ita natum est ut p. 21, 10 in AE κυνηγετοῦντες σὺν pro συγκυνηγετοῦντες. — 10, 8 καταγωνίζονται rectum videtur, quod unus servavit *h*; eo in πολεμοῦσιν mutato consentaneum fuit aut ἡμᾶς quoque in ἡμῖν mutari (ut in AE) aut supra (l. 2) τοὺς Θηβαίους (ut in B) rescribi.

§ 25. 11, 1 de nomine πολιτῶν falso me dubitasse nunc sentio: cfr. [Apollod.] Bibl. III 52 Wagner: μαθοῦσα δὲ αἴνιγμα παρὰ Μουσῶν ἐπὶ τὸ Φίκιον ὄρος ἐκαθέζετο καὶ τοῦτο προύτεινε Θηβαίοις et Argum. Eurip. Phoen. p. 395, 17 sq. Nauck χρησμούς τε ῥαψῳδούσης καὶ ὅντινα βούλοιτο τῶν πολιτῶν ἁρπαζούσης καὶ διαφθειρούσης διὰ τὸ μὴ συνιέναι σφᾶς τῶν ὑπ' αὐτῆς λεγομένων χρησμῶν, ibd. 27 εἰποῦσα τοιοῦτό τι τοῖς Θηβαίοις τότε αἴνιγμα. — 12, 3 ⟨ἐν⟩ αἰνίγματι conicias, quod rectius videtur de Sphinge 'in insidiis sedente'; sed ambiguo sermone opus fuit ad fabulae originem explicandam. Scribendum fortasse fuit αἴνιγμά τι ὑφισταμένη, quod et de insidiis et de aenigmate dici potest; similem ambiguitatem sectatus καὶ κύων καὶ γυνὴ potius quam quae in *h* leguntur mythographus scripsisse videtur. — 15, 3 fort. rectius fuit ὃς [αὐτὸς ἐγεώργει] καὶ scribere, ut illud καὶ ansam interpolatori dedisse arbitremur. — 16, 3 ad verba ἅτε τὴν γῆν ἐργαζομένων fuit olim qui explicandi causa, ut opinor, ὀλίγας vel ὀλίγην adscriberet; tunc autem glossema misere corruptum in contextum codicis *d* irrepsit. Quin vero scholiastes ille loci sententiam recte intellexerit dubitari non potest; hoc enim dicit mythographus: victum et divitias parabant quales agri cultura possunt parari, scil. admodum modicas. Contra pervertisse omnino sententiam videtur interpolator codicum E, qui πλείστην scripsit; inepta autem sunt quae in B leguntur. — 17, 9 contra

consensum codicum S* μεταλλεία servandum duxi, vocabulum certe antiquius et magis probatum.

§ 26. 18, 4 nisi locus plane similis succurrisset, praetulissem certe πολέμια (cfr. Thucyd. I 18, 3 et quae ibi Steupius adnotavit); corrigere utrobique arbitrium fuisset insanum. — 19, 4 sq. Vitellio sic emendandum videbatur: λέγουσιν ⟨ἀτρώτους⟩ τοὺς ἀγωνιστάς, ἐάν τις ἄκρος ᾖ, κ. τ. λ. — 19, 6 vides pluralem numerum contra B* ex S a me adscitum; cuius rei causas uberius exposui in dissertatione mea p. 19, leviter tamen infra in his prolegomenis attingam (II p. L sq.). De toto XI cap. insigne iudicium est Valckenarii: "de huius capitis auctore an sit Palaephatus addubito. deest formula solemnis. dein ob similitudinem prioris potuit esse adiectum." Quae clarissimi viri dubitatio tollitur, si mecum statuas hoc loco vestigia quasi deprehendi veteris atque aliter ac nunc est dispositae materiae fabularis. — 22, 7—9 deesse aliquid dixerim; de Iove certe in taurum converso ne verbum quidem, quamquam in fabulae confutatione (p. 23, 1 sq.) de deo quoque agitur. — 23, 5 et τελευταῖον et τελευτήσας ex τελευτῶν oriri potuisse arbitror; ἀποπλεύσας autem in B coniectura exstitisse crediderim. Tamen fuit cum ἐπιπλεύσας mallem reponere, coll. Thuc. III 76 extr. — 23, 11 ante me unus Oudendorpius temptavit obscura illa verba χίλιοι ἑκατόν, coniecitque εἱρκτοί inclusi. Mihi coniecturae fundamentum praebuit epitome vaticana, v. [Apollod.] Bibl. ed. Wagner p. 208, 16. 26; 210, 19. — 24, 11 δι' ἧς dici olim potuisse ostendunt loci in Lucae Evangelio IX 14 δι' ἐκείνης et V 19 διὰ ποίας; sic enim mediae aetatis homines legisse videntur, non, ut nunc ex codicibus vetustissimis restitutum est, ἐκείνης et ποίας; cfr. praeterea Suidam, s. v. ἀναλαβεῖν, quem locum Vitellius mihi monstravit.[1]) Constructionem rariorem, codicibus testantibus, oblitterandam non esse duxi.

---

1) Ἀναλαβεῖν, ἐνθυμηθῆναι. Μηδ' εἰς ἐσχάτην ἀναλαβεῖν ἐλπίδα, μήποτε διὰ ταύτης πολέμιος ἐπ' αὐτοὺς ἀναβῇ. Duo fragmenta in unum confusa hic esse suspicatur Vitellius.

§ 27. 26, 4 'num οἶες?' Vitelli. — 26, 10 ut verba in capitis clausula ostendunt, desideratur hic mentio draconis ab Hercule occisi; ergo lacunam statuere non dubitavi; ad quam explendam *ἀποκτείνας* fere Vitellio sufficere videbatur. De illo *ἤγαγεν* quid sit iudicandum in obscuro est. Valckenario et Piersono, quibus lectio AE *εἰσήγαγεν* praesto erat, *εἰσήλασεν* corrigendum videbatur. — 27, 8sq. poenitet me quod illud emblema *καὶ Γύγης* non, ut debui, omnino in adnotationes relegaverim. Ad *Ὀλυμπίοις* quod attinet vix est quod moneam omnem adimi fabulae salem, nisi *Ὀλύμπιοι* ambigue de diis et de Olympi accolis dictum statuatur. — 28, 7 *ταχεῖα τό τε ὄνομα Σκύλλα* coni. Vitelli. — 30, 4 dubitationem movet non modo codicis *u* lectio, sed ea praesertim quae p. 31, 1—3 leguntur ubi *διαφθείρειν* bis occurrit; et tamen dissipandi et diripiendi notionem fabula ipsa videtur desiderare. Num igitur infra *διεφόρουν* et *διαφοροῦσι* legendum? — 30, 10 de lacuna in apparatu satis dixi. Fieri tamen potest ut eam non suo loco notaverim; nam et post *διέφθειρον* (p. 31, 1) excidere potuerunt quae hic desiderari videntur. Argutiis, ut solet, in verbis similibus *Ἅρπυια Ἁρπύρεια* lusisse bonum mythographum satis probabile est; ut p. 31, 2 pro *αἱ Ἅρπυιαι* olim *αἱ περὶ τὴν Ἁρπύρειαν* scriptum fuisse conicere liceat. — 32, 11 Apostolae hoc loco auctoritas magni facienda fuit; non modo enim eius lectio satis indicat quomodo in *h τρισώματος*, in ceteris codd. *τρικέφαλος* oriri potuerit, sed et firmatur ipsa cum fabulae totius sententia tum loco affini p. 58, 8. — 33, 3 intelligendum *αὐτῆς* et verbum ita interpretandum ut apud Thuc. IV 122, 4 patere arbitror; *ἀντιποιούμενος αὐτῆς* 'eam sibi vindicans' coniciebat Valcken., Piersono autem, quem sequitur Vitellius, *ἀντιούμενον* mutare satis ad sententiam videbatur. Ne forte codicum lectioni me plus tribuere putes quam par est, non idcirco Geryonem Hercules interemit quia eius gregibus potiri cupiebat, sed quia ius suum in greges ille defendere ausus erat.

§ 28. 34, 6 ut me Vitellius admonuit, rectum fuerit

ταὐτὸ ποιήσας τὸν Γλαῦκον, quod propter proximum *αὐτὸν* partim in dativum, partim in accusativum cum *εἰς* mutasse librarii videntur. Fischeri quoque satis probabilis videtur sententia, qui, *εἰς* tantum deleto, *ταὐτὸ ποιήσας τὸν Γλαῦκον ἀνέστησεν* ex recensione AE rescribendum duxit. — 36, 7 dubitationem iam illud *ἱκανὰς* post ea quae Fischerus in indice verborum disputavit non admittit; alioqui Vitellii coniecturam *συχνὰς* libenter recepissem. — 36, 12 sq. num *τῶν πολιτῶν τίνες* et mox *καὶ κομίζων οἷς*? nam volentibus pisces quos habebat, non quoscunque illi vellent, Glaucus afferre potuit. — 37, 12 cum 'fort. recte' in apparatu scriberem, obversabatur mihi locus infra 39, 12 *μετὰ τοῦ Πηγάσου*; sed valde dubia res est, et hic subiectum verbo *ἀνελεῖν* desideratur. — 39, 1 perperam *τελμισσίς* cum *d* scripsi; rectum fere servarunt B*h*, scribendum est enim *τελμησσίς* (v. *Thesaurum*). — 39, 2 sq. emendatio debetur Schradero (Palaephatea, p. 37). — 41, 5 *πρὸ τρίτης ἢ τετάρτης ἡμέρας* Vitellio satis probabile videtur. — 43, 11 certam arbitror emendationem (vide tamen *Consideraz.* etc. p. 15, adn. 1), peculiaris autem genealogia, quam hinc recte Schraderus (l. l. p. 37) elicuit, inde orta videtur quod mythographus nescio quis duas fabulosas personas inter se confuderit, quae sint *Μέροψ πατὴρ τῆς Κῶ* et *Μερόπη θυγάτηρ Ἡλίου* (v. Steph. Byz.; Etym. M. 507, 55; Hygin. fab. 154; Dibbelt, Quaestiones Coae mythographae, p. 3 et 6). Quid quod de Co Meropae filia apud Favorinum s. v. *Κῶς* legimus? Unde ad ea fere quae olim conieceram, *ἡ μήτηρ* ⟨*Φρίξου*⟩ *Μερόπης θυγάτηρ* ⟨*καὶ*⟩ *Ἡλίου* redierim.

§ 29. 45, 3 *διαδιδούσης* malit Vitelli. — 46, 3 cum Muellero (Geogr. gr. min. I p. XXX) et Schradero (l. l. p. 21) convenit mihi, Hannonis Peripli hoc loco delitescere memoriam statuentibus. Hannonis verba sunt § 8: *ἐτεκμαιρόμεθα δ' αὐτὴν* (sc. *Κέρνην*) *ἐκ τοῦ περίπλου κατ' εὐθὺ κεῖσθαι Καρχηδόνος*. Fluminis nomen, quod apud Hannonem frustra hoc loco quaesiveris, eruere fortasse licet ex Scylacis qui fertur Periplo 112 (Müller l. l. p. 93). Cfr. C. Th.

Fischer, *De Hannonis Carthaginiensis Periplo*, p. 28—36. Cerne insula perperam a fabulatoribus confusa est cum una ex tribus in Lixo flumine insulis; harum nomina cum non tradidisset Hanno, talibus fictionibus campus patuit. — 47, 10 olim (*St. F.* IV 251, n. 1) putaveram *Κέρνην* et *Κύρνον* ab inepto scriptore confusa esse; postea lumen mihi afferre visus est locus ex Cypriis, frag. 21 Kinkel; sed male *Σαρπηδονίας* scripsi (quamvis hoc legatur apud Zenob. V 86), debui enim *Σαρπηδόνος*. Satis memorabile est capitis huius scriptorem promiscue periegetarum et veterum poetarum fabulis uti. — 48, 12 *ἀπαρτίζεσθαι* medium audacter ea significatione quae activi est inculcandum duxi; quo et vestigia lectionis in cod. *m* servatae et totius loci sententia ferre videbantur. — 49, 11 *τοῦτο*] *ταὐτὸ* coni. Vitelli. — 49, 12 omissam integram fabulae *ἀνασκευὴν* ab ipso excerptore, ex codicum varietate mihi persuasi. — 50, 1 *αἱ Θρ.*] cfr. Etym. Magn. p. 191, 5 (Aesch. fr. 59 Nauck[2]). — 50, 3 *Παταρεῖς οἱ παρὰ Ξάνθον* coniecerat Fröhnerus, quod firmari posse Pseudo-Aristotelis loco Oecon. II p. 1348 a 29 Schradero videtur. Hoc si verum est, malim equidem *Παταριᾶται παραξάνθιοι* (cfr. *παρευφρατήσιοι* ap. Eutecnium p. 13, 11 Tüselmann) quod ad traditam scripturam proxime accedit; v. quae supra dixi § 18. Dubitanter *οἱ Χαριμάται* ⟨*καὶ*⟩ *Κοραξοί* proposuit Schwartzius (l. l. 1577). At si ad scythicas gentes accedere et a codicum lectione recedere licet, etiam *Παραλάται ἀπὸ Κολαξάιος* aliquam ex Herod. IV 5—7 probabilitatis habere speciem dixeris. Denique in corruptis huius loci verbis scythicum nomen compositum delitescere quale est illud *Οἰόρπατα* (Herod. IV 110) haud absurdum videtur. — 50, 4 sq. Schwartzius (l. l. 1578 sq.) ita scribendum indicat: —*γυναῖκες, Ἀμαζόνες δὲ τὸ γένος, μάχεσθαι ἀγαθοί, ἦσαν* ('sie waren vielmehr das Volk Amazonen, tapfere Krieger'), quod mihi parum probabile videtur. Si quid mutandum, quod non credo, ita potius scripserim: —*γυναῖκες, Ἀμαζόνες δὲ τὸ γένος, μάχεσθαι* ⟨*δ'*⟩ *ἀγαθοὶ ἦσαν*; sed haec sunt sequentibus acute opposita. — 50, 8 *ἐφείπετο καὶ δένδρα* scri-

bendum esse ostendit narratio ipsa et fabulae postrema verba 51, 10 καὶ τὴν ὕλην. Minime igitur dubito quin verba τετράποδα καὶ ἑρπετὰ καὶ ὄρνεα delenda sint, vel saltem uncis includenda. — 51, 1 Fischeri adnotatio mihi persuasit λοιπὰς emblema esse codicum B: πολλὰς ἡμέρας malit Vitelli. Male tamen contracta videtur narratio; hoc enim significari videtur, mulieres illas etiam post Bacchi festum in monte commoratas esse. — 51, 4 θυσάμενος ὄργια servandum duxi, nisi forte praestat *d* codicis lectio ἐκθυσάμενος (cfr. ἐκθύσασθαι θεοῖς Strab. VI 2). Quod de codicum AE lectione Schwartzius opinatur, antiquiora interdum novis verbis eiecta esse, idem de S dicere vix rectum sit. Ceterum v. *St. F.* IV 252. — 53, 3 cfr. Niese, Hermes XII 411. Aristot. Metaph. p. 1024ᵃ 29 sqq. οὕτω γὰρ λέγονται Ἕλληνες τὸ γένος, οἱ δ' Ἴωνες τῷ οἱ μὲν ἀπὸ Ἕλληνος, οἱ δὲ ἀπὸ Ἴωνος εἶναι πρώτου γεννήσαντος. — 54, 2 sq. v. quae dixi supra § 18. — 54, 9 quoniam hoc loco τελεῖν est 'vectigal pendere', codicum B lectionem contempsisse me poenitet; locum habes paene gemellum supra 32, 4 sq. ἀργυρίῳ μὲν οὖν οἱ τότε ἄνθρωποι οὐκ ἐμνηστεύοντο! — 56, 9 sq. 'verba ᾤκουν — κώμας fort. delenda' Vitellius, qui glossematis formam genuinam verbo πόλεις appositi hanc fere fuisse opinatur: ᾤ. δὲ π. οἱ ἄνθρ. τότε κώμας, illud autem κατὰ lectori nescio cui Thucydidiorum locorum memori deberi. — 58, 1 τὸν πεπονηκότα vel τὸν ⟨ἄμαχον⟩ πεφυκότα dubitanter Vitelli. — 58, 12 ut Eurip. Hel. 1262 N. νεανίαις ὤμοισι Her. 1095 νεανίαν θώρακα (ubi tamen de virorum artubus agitur) ita de canibus pro νεαραῖς dici potuisse arbitror. νεανικός hoc sensu defendit Fischerus Prolus. 3, 5. — 59, 2 'equidem scripserim περιελᾶν' Vitelli.

§ 30. Alcestidis fabulam si apud Euripidem consideramus, 60, 3 sq. αὐτὴν . . . ἀφελόμενος τὸν Θάνατον scribamus necesse erit; recte igitur 60, 3 θανεῖν *d* servat, ubi ceteris codd. θάνατον ex proxima linea irrepsit. Verba autem καὶ — Ἅιδου addita esse patet cum fabula aliter narrari coepisset, cfr. [Apollod.] Bibl. I 106 Wagner. —

61, 12 sqq. si quid valet illud ἐκεῖσε πορευόμενον (l. 13), patet hic pro ἄγων futuri temporis participium desiderari vel omnino diversum verbum quale fuerit μετιών vel sim.; nam illud quoque nostro cum Euripidis fabula convenit, quod Alcestidis πάρεργον Herculi non redeunti sed eunti ad Diomedis equas eripiendas occurrit. — 63, 3 sq. cfr. 41, 6 sqq. mutatae figurae et maritimi itineris mentio excidisse videtur; tamen pro τὸ καὶ conicias τά ⟨τε ἄλλα⟩ καί. — 63, 7 αὕτη errore ortum arbitror cum olim ἡ δὲ scriptum esset, librarius autem oscitans ἥδε legisset, inde in simile pronomen mutasset. — 63, 9 sq. ἂν repetitionis esse particulam non sensit Westermannus; idem totam inversionibus suis fabulam pervertit. Saepius fugam tentasse puellam donec mercatoribus alienigenis se traderet, testari videtur illud καὶ τελευταῖον; nil ergo nisi iterum atque iterum custodes frustratae fugamque conatae puellae mentio in lacuna intercidisse videtur. — 64, 6 fort. ὃν γὰρ ἤψησε. — 64, 7 sqq. ut multa sint in hoc loco incerta, unum tamen saepius consideranti constare iam fere mihi videtur, codices *y* lacunosos quidem esse, rectum tamen praebere verbis τὸ πυρρὸν καὶ μέλαν, ceteros codices, verbi quod est ἄνθος (h. e. 'color') vi parum intellecta, interpretamentum satis ineptum ex verbis sequentibus addidisse. Hoc prodit artificium illa fere omnibus communis pravitas sermonis τρίχας — μέλανας. Cum autem verba βάπτουσα — μετέβαλεν recte ab *y* servata esse videantur, ex his praegressa emendare par fuit; unde καὶ πυρροὺς addidi; in sequentibus autem corruptissima, ut patet, et misere contracta praebent *y*; quare ad reliquos codices accedendum fuit. — 66, 5 Λαμήδη blande deminutam nominis formam restituendam hoc loco putat O. Crusius; sed est potius additamentum eiusdem generis cuius exempla habemus in hoc libello ex variis mss. 44, 5 Καλκιόπην, 42, 1 Κόλχων etc.; vide quae supra collegi exempla § 16 extr. — 71, 1 οὐκ ὄντων] fort. οὐκ⟨έτι παρ⟩όντων? — 74, 6 malim οὗτος γὰρ ὤν. — 74, 14 cfr. p. 25, 4 sqq. — 80 in cap. XXI inscriptione περὶ τῶν ἐξ Ἅιδου coniecit Fabricius Bibl. gr. I 192. —

87 in cap. XXXVIII inscriptione delenda censeo verba *καὶ Σελήνης*. — 88, 11 cfr. Plut. Mor. 983 e. — 94, 7 num *οὔ τῳ*? — 96, 2 *θειότατον*] fort. *θεόδοτον*.

Epimetri instar addo virorum doctorum praeter eas quas supra memoravi coniecturas: 1, 2 *εὐπειθέστεροι* del. Fischer: *εὐηθέστεροι* coni. Valcken. — 1, 6 sq. *εἰ γὰρ ὄναρ μόνον ἐγένοντο, λόγος δὴ περὶ αὐτῶν οὐδεὶς ὑπάρξειεν ἄν* Valcken. — 10, 5 *τοιαῦτα*] *καὶ αὖθις* Valcken. — 10, 7 *ἀγαθοὶ*] 'sensus postulat *ἀργαλέοι* ut paulo ante (l. 3)' Valcken. — 12, 3 ex *αἴνιγμά τι λέγουσα* haud absurde *αἰνίγματι πλέκουσα* tentabat Pierson. — 13, 4 *ἐπεκαλεῖτο ἀλώπηξ ὅτι ἦν πανοῦργος* Valcken. — 15, 8 *δυστυχήσειε* (sic) Oudendorpius. — 16, 1 sqq. *τῶν παλαιῶν ἀνθρώπων τῶν αὐτουργούντων καὶ τὴν τροφὴν καὶ τὴν περιουσίαν οὕτως κτωμένων* [*ἅτε τὴν γῆν ἐργαζομένων*], *ἱπποτροφεῖν τις κτλ.* Vitelli. — 16, 4 *ἐπελάβετο*] *ἐπεβάλετο* Schaefer ad Bos. ellips. gr. p. 67. — 16, 13 'fort. *ποιήσας τις* ⟨*αὐτῇ*⟩ *εἰκόνα*' Tollius. — 19, 11 *υἱοὺς αὐτοῦ ὄντας* quod est in AE corrigit in *ὑλουργοὺς ὄντας* Brunnerus, quem laudans addit Valckenarius: 'credo legendum e ms. *καὶ Ἴκαρον τὸν υἱὸν αὐτοῦ ὄντα*'; scil. recensionem BS cum altera contaminavit vel contaminatam alicubi invenit. *ὑποδίκους* pro *υἱοὺς* coni. Pierson. — 20, 6 *ἔπλεεν* (AE) in *ἀπέπλεεν* mutabat Valcken. — 20, 8 Vitellius *ὄντος* ⟨*θᾶσσον ἔπλεον, καὶ οὕτω*⟩ *πετόμενοι* vel *ὄντος* ⟨*διὰ ταχέων πλέοντες*⟩ *πετόμενοι* exempli gratia proponit. Interpolationibus ita hunc locum liberandum Valckenarius censebat: *ἀνέμου λάβρου* [*καὶ σφοδροῦ*] *ὄντος πετόμενοι* [*ἤγουν πλέοντες*] *ἐν τῷ πελάγει περιτρέπονται.* Codicum BS recensionem vir doctus ignorasse dicendus est. — 21, 2 sq. ex *ἔνι τοιοῦτον* (AE) scribendum praedixerat *ἦν τοιοῦτον* Valcken., qui tamen alibi (c. XXVII, infra p. 35, 11) *ἔνι* defendit. — 23, 2 *εὕροι ἂν* Valcken. — 24, 6 *αὐτοῖς ὡς κατὰ μαντείαν εἰ κ. τ. λ.* malit Vitelli. — 26, 9 'l. *παρελάσας* abducens' Valcken. perperam. — 26, 14 *ἔνθεν*] 'malim *ἐνθένδε* vel *ἐντεῦθεν*

ut c. 21' (sic; immo 1? respicere enim videtur p. 4, 1) Valcken. — 31, 5 in codice aliquo *οὐκ ἀνόμου* legisse Valcken. videtur, unde illi et Piersono *οὐκ ἀνωνύμου*, coll. p. 33, 1 *ὀνομαστός*, restituendum videbatur. — 34, 3 *κατώρυξε*] *καθεῖρξε* maluisset Valcken. — 34, 6 *αὐτὸς*] *οὗτος* Valcken. et Touss. a Ruhnkenio laudatus. — 38, 2 *ἔνιοι — γενέσθαι*] 'sed ex praeced. iam constat id *ἐνίοις δοκεῖν*. Forsan legendum *ἐμοὶ δὲ δοκεῖ τοιοῦτον μὴ γενέσθαι*' Valck., qui postea *ἀδύνατον γὰρ* voluisse videtur. — 50, 4 *πρὸς*] *παρὰ* malebat Pierson. — 50, 8 'melius *ὑφείπετο*' Valcken.

Pars altera.

I. De Palaephato librorum *περὶ ἀπίστων* auctore.

§ 1. Praeter fabulosum quendam atheniensem poetam, de quo infra[1]) breviter disserendum erit, tres apud Suidam Palaephati recensentur. Sed ea quae lexicographus praebet, ex variis fontibus misere contaminata esse iam dudum mihi persuasum est. Certe ante hos XII annos luculentissimum auctorem A. v. Gutschmid[2]) secutus demonstrare conatus sum[3]) quae de tribus apud Suidam narrentur Palaephatis, ea in unum eundemque virum convenire qui operis *περὶ ἀπίστων* auctor fuerit.[4]) Ut breviter hic totam rem com-

---

1) V. p. XLIII sq.

2) Apud Flachium, *Hesychii Milesii Onomatologi quae supersunt*, p. 158 sq.

3) *(Intorno all' opuscolo di Palefato de incredibilibus) Consideraz(ioni) etc.*, Firenze-Roma 1890, p. 34—41.

4) Contra dixerunt Fr. Wipprecht, *Quaestiones palaephateae*, Bonn. 1892, p. 59 sqq. et J. Schrader, *Palaephatea*, Berlin 1894, p. 41 sqq.; quos hic refellere operae pretium non videtur, quoniam Schraderus mecum nonnullis in rebus consentit, Wipprechtii autem argumenta facili negotio ille evertit, mihique saepius accessisset, nisi subtilius interdum quam verius disputare maluisset. Meam ego sententiam cur mutarem nondum satis idoneam causam exstitisse arbitror.

plectar, en tibi Palaephati illius imaginem ex glossis Suidanis quodam modo erutam et expolitam.

Palaephatus fuit ⟨a⟩ Parianus ⟨b⟩ vel Abydenus ⟨c⟩ historicus. Alexandri et Artaxerxis ⟨d⟩ [Ochi] temporibus vixit; ⟨e⟩ Aristotelem [adulescens] ⟨f⟩ audivit; [⟨g⟩ quocum fortasse a. CCCXLIV Athenas migravit; unde] et ⟨h⟩ Atheniensis dictus est. Scripsit *Κυπριακά*, *Δηλιακά*, *Ἀττικά*, ⟨i⟩ *Τρωικά* et ⟨k⟩ *ἀπίστων* libros.

Commentarii loco quae olim fusius disputavi hic breviter perstringere liceat.

⟨a⟩ **Parianum** Gutschmidio praeeunte dico quem Suidas verbis indicavit *Πάριος ἢ Πριηνεύς*. Errorem in altero vocabulo (*Πριηνεύς* pro *Παριανεύς* vel, quod Stephani Byzantii codices nonnulli s. v. *Πάριον* praebent, *Παριηνεύς*) latere par est. Paros igitur insula et Parion urbs ad Hellespontum a Suidae auctore confusae videntur. Hoc et per se satis excusatur et exemplo firmatur, quod ex Aristophanis scholiastis olim deprompsi.[1])

⟨b⟩ **Abydenum** Palaephatum a Pariano diversum si cui placet e Suidae verbis excitare, nil moror. Illud tamen vel post Schraderi[2]) accuratam disputationem fere constat, ad mythicorum auctorem referenda esse quae de Abydeno his verbis in lexico tradita leguntur: *γέγονε δὲ ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος, παιδικὰ δὲ Ἀριστοτέλους τοῦ φιλοσόφου ὡς Φίλων ἐν τῷ ε΄ στοιχείῳ τοῦ περὶ παραδόξου ἱστορίας βιβλίου α΄ καὶ Θεόδωρος ὁ Ἰλιεὺς ἐν β΄ Τρωικῶν.* Sane de Aegyptio Palaephato Schraderus, ego de Pariano haec tradita arbitror, qua de re infra fusius dicam; sed hoc nihil ad rem. Hoc ut olim[3]) teneo, cum sint multa in Suidae memoria confusa et turbata, etiam scriptoris illius procul dubio Asiatici[4]), qui, ut opinor, postea factus sit Atheniensis, patriam in altero fonte Abydum, in altero

1) *N(uove) O(sservazioni sopra l'opuscolo di Palefato Περὶ Ἀπίστων)* (St. F. IV) 255.

2) l. l. p. 47—49. 3) *Consid. etc.* p. 38—41.

4) Dubitandi causas Schraderus l. l. p. 44—46 optime sustulisse mihi videtur.

Parion traditum fuisse.[1]) De Abydo autem aliam explicationem propositam invenies infra, p. XLII sq.; cfr. p. XLVI, adn. 1.

⟨c⟩ **Historicum** eundem statuamus atque mythographum fuisse oportet, si cum Schradero[2]) *Τρωικά* et opus de incredibilibus, ut par est, eidem auctori tribuimus. Audimus autem in huius *περὶ ἀπίστων* libelli cui vetustas pepercit prooemio[3]) Palaephatum ipsum (nam personatum[4]) esse non credo) de historia h. e. investigatione locorum rerumque diligenti gloriantem. Eundem ut alias[5]) ita in fabula de equo troiano deprendi arbitror, ubi *Ἀργείων λόγος ἐκαλεῖτο μέχρι τοῦ νῦν*[6]), ut codicum consensu restitui, verba hominis ad suam in regione troiana

1) Meam de hac re sententiam perverse rettulit Wipprecht. Conferas licet eius verba (p. 61) 'Festae sententiam qui . . . Palaephatum Parium et Abydenum eandem fuisse personam contendit, *cum Abydus oppidum haud longe absit a Pario, ita ut Palaephatus modo Parianus modo Abydenus appellatus esse possit,* fusius refutare non est opus'. Credo! ego autem scripseram (p. 38): 'L' antichità non conosceva con esattezza la patria di quel Palefato che noi abbiamo chiamato Pariano. In Atene sapevano ch' egli era venuto dal di là dell' Ellesponto, ma chi lo diceva di Parion, chi di Abydos. Può darsi che Filone e Teodoro Iliese, citandolo, realmente lo dicessero Abideno.'

2) l. l. p. 44 et 49.

3) Infra p. 2, 9—14: *ἐπελθὼν δὲ καὶ πλείστας χώρας ἐπυνθανόμην τῶν πρεσβυτέρων ὡς ἀκούοιεν περὶ ἑκάστου αὐτῶν, συγγράφω δὲ ἃ ἐπυθόμην παρ' αὐτῶν. καὶ τὰ χωρία αὐτὸς εἶδον ὡς ἔστιν ἕκαστον ἔχον, καὶ γέγραφα ταῦτα οὐχ οἷα ἦν λεγόμενα, ἀλλ' αὐτὸς ἐπελθὼν καὶ ἱστορήσας.*

4) Hoc nemo, quod sciam, aperte contendit; caveo tamen ne quis forte id colligat ex Schraderi animadversionibus l. l. p. 32 (ubi Palaephatum veteres logographos consulto imitatum facit) et p. 28, adn. 1 (ubi falsarios formulam illam veterem *τάδε — συγγέγραφα* usurpantes attingit). Praeter ea quae infra de praefationis auctore dicentur, Melissi et Lamisci testimonium, in quo adhuc legentes haeremus, falsarius finxisse non videtur.

5) Cfr. Schraderum l. l. 34 sqq.

6) Infra p. 24, 4. Codicum B lectio *καλεῖται* inepto emendatori debetur, qui non sensit auctorem peregrinationem suam tacite attingere.

scrutandi causa factam peregrinationem provocantis videntur.[1])

⟨d⟩ Quem Suidas laudat Artaxerxem olim plerique[2]) Longimanum esse crediderunt; Wipprechtius[3]) nuper non nisi Mnemonem esse posse contendit, cavillatione quadam usus quam verbo damnavit Schraderus.[4]) Hic autem in incerto rem reliquisse videtur; quamquam, si vera sunt quae supra de verbis γέγονε — Τρωικῶν disputavimus, vix ambigendi locus est. Gutschmidii acumen fugere non potuit quod bonus ille Veludus[5]) iam pridem viderat, Aristotelis disciplinam non nisi cum tertii quem Ochum dixerunt Artaxerxis[6]) aetate (358/7—338/7) conciliari posse.

⟨e⟩ **Aristotelis** auditorem esse potuisse Palaephatum nemo, opinor, negabit post ea quae partim a me[7]) partim a Schradero[8]) probabilitatis argumenta prolata sunt.[9])

---

1) Eiusdem generis testimonium exstaret in fabula de Niobe (infra p. 17, 2), si codicibus AE fidem adiungere liceret.

2) Quibus nuper accessisse miror acuti ingenii et minime vulgaris doctrinae virum Eugenium Oderum (*Wochenschrift für classische Philologie* XI [1894], 179).

3) l. l. p. 61.

4) l. l. p. 42, n. 1: 'Hunc Mnemonem esse (405—362) Wipprechtius pro certo vendit: sine iusta causa. Neque enim inde quod semel hoc Suidas utitur ad aetatem scriptoris (Anaximandri Milesii) definiendam (nam Ctesias, quem eundem regem sanasse tradit, huc non facit), Artaxerxe I Longimano (465—425) non utitur, etiam hoc loco non hunc sed illum respici recte potest concludi.' Cfr. quae scripsi in *NO.* 254.

5) *Le Cose Incredibili di Palefato tradotte e illustrate da G. Veludo,* Venezia 1843, p. XII sq. Non Suidae tantum verba sed libelli quem habemus περὶ ἀπίστων argumenta et dicendi genus perpendisse ille videtur; Samii quoque Lamisci testimonium eodem trahere arbitratus est.

6) V. Judeich in Pauly-Wissowa, *Realencycl.* I 1321.

7) *Consideraz. etc.* p. 47—52. 8) l. l. p. 50—56.

9) Quorum capita hic recenseo: α) Theonis in Progymn. c. 6 (= Walz, Rhet. Gr. I 221; Spengel, II 96) testimonium, item aliorum peripateticum appellantium Palaephatum; β) doctrinarum affinitas quaedam inter aristotelios et palaephateos locos nonnullos; γ) peripateticae doctrinae fines amplissimi et summa in rebus tractandis varietas atque libertas. His adiecit Schra-

Unum hic addam. Obscuriorem in palaephateo prooemio locum, ubi scriptores laudantur veteres ἐν ἀρχῇ ἔστιν ἃ ἐγένετο asserentes, cum aristotelio loco licet conferre Rhet. B 19. 1392 a, 15 sqq.: οὗ ἡ ἀρχὴ δύναται γενέσθαι, καὶ τὸ τέλος· οὐδὲν γὰρ γίγνεται οὐδ' ἄρχεται γίγνεσθαι τῶν ἀδυνάτων, οἷον τὸ σύμμετρον τὴν διάμετρον εἶναι οὔτ' ἂν ἄρξαιτο γίγνεσθαι οὔτε γίγνεται. καὶ οὗ τὸ τέλος καὶ ἡ ἀρχὴ δυνατή· ἅπαντα γὰρ ἐξ ἀρχῆς γίγνεται κτλ. Dicat quispiam: 'Cur ergo veterum philosophorum memoriam revocavit Palaephatus, de magistro autem suo nusquam verbum?' Etiamsi integrum Palaephati opus haberemus, tamen haerendum in huiusmodi quaestione non esset. Veterum enim consuetudo in hoc genere toto caelo diversa fuit a nostra philologorum, qui eo fere eruditiores videmur quo plura recentissimi cuiusque scripta laudamus. Ceterum, quamvis peripateticus ille sit appellatus, fuit natura periegetes et historicus magis quam philosophus; pauca igitur de schola in usum suum transferenda videtur invenisse.

⟨f⟩ **Auditor** philosophi nobis esse debet ille quem eius delicias fuisse male salsi et ad probra fingenda paratissimi graeculi tradidere. Quod nemo mirabitur qui eiusmodi commercium vel cum Atarneo Hermia vel cum Theodecte[1]) ab Aristotelis conviciatoribus obiectum meminerit.[2]) Si quid tamen veri vel ex hoc ridiculo invento nobis exprimere licet, adulescentem admodum et fortasse formosum inter philosophi discipulos fuisse Palaephatum

---

derus quae sequuntur: δ) aristoteliorum Problematum doctrina de heroibus; ε) aliorum peripateticorum commenta palaephateis simillima; ζ) Palaephato et peripateticis nonnullis commune in rerum inventores collatum studium. Alia a Schradero collecta minus mihi probantur; in Aegyptum enim ille migrantem facit Palaephatum, quem ego Athenis tantum moratum e Suidae verbis colligo; praeterea ὑποθέσεων auctores inter peripateticos quaerit ille, quoniam Aegyptium grammaticum a nostro mythographo non differre pro certo habet. At v. infra p. XL. XLVI.

1) Schraderi (l. l. p. 48) laus est hanc apud Athenaeum XIII 566 d detectam fabellam ad rem nobis propositam attulisse.

2) V. *Consideraz. etc.* p. 36.

suspicari possumus. Ad Veludi[1]) tamen opinionem, qui Palaephatum anno fere 358 natum voluit, vix nobis licet accedere.

⟨g⟩ Qui Palaephatum Asiaticum dicere non dubitant eundemque in Aristotelis discipulis numerant[2]), cur Gutschmidii sententiam tantopere adversentur non intellego[3]); quam ego sententiam secutus fieri potuisse contendo ut Palaephatus ex Asia Athenas redeuntem Aristotelem comitatus in urbe studiis omnibus florente sedem suam postea constituerit, Atheniensis demum quasi suo iure sit appellatus.

⟨h⟩ Potuit enim Schraderi[4]) saltem sententia vir Paro vel Priene oriundus in Aegypto diutius commoratus Aegyptius appellari; Atheniensem qui Athenas quasi alteram patriam elegisset vocari potuisse negabimus? Praeterea Aegyptius ille, cui Wipprechtus et Schraderus maxime adhaerent[5]), dicitur apud Suidam ἢ Ἀθηναῖος, quae verba nimis leviter uterque[6]) tamquam ex vatis illius vita huc intrusa delenda censet. Hoc in Schradero magis miror, qui a grammaticis prave dissecatas interdum antiquorum scriptorum personas, cum pugnantia quaedam inter se de

---

1) Is (l. supra laudato) XXVIII annos natum Palaephatum ad Aristotelis disciplinam accessisse arbitratus est, id, ut opinor, non nisi Athenis fieri potuisse ratus, h. e. postquam philosophi schola innotescere coepisset.

2) Cfr. quae supra sub ⟨e⟩ scripsi.

3) Aut enim omnia quae Suidas tradidit religiosissime tuenda sunt, quod nemo, ut arbitror, contendere conabitur; aut si apud illum quae sunt perperam tradita in ordinem suum adducere volumus, probabilitatis species explorandae sunt, quas nemo magis quam Gutschmidius perspexit.

4) l. l. p. 49.

5) Argumentum quod erat eorum sententiae quasi fundamentum olim evertisse mihi videor (*NO.* 255 sq.); ceterum uterque libellum περὶ ἀπίστων, quem Palaephati nomine habemus, germanum opus veteris illius grammatici esse pro certo arbitratur, quod falsum esse mihi constat.

6) Wipprecht l. l. p. 60, Schrader l. l. p. 41.

illis tradita essent, exemplis luculentissimis docuit.[1]) Quod si verum est, eiusmodi discrepantias, ubi grammaticis fortasse invitis ad nos pervenerunt, non oblitterandas, explicandas potius et confirmandas aut refellendas nobis esse quis neget?[2])

⟨i⟩ *Τρωικά* recepi, *Ἀραβικά* quae Suidas hic adnumerat delevi, Carolum Mueller partim secutus.[3]) Romanenses fabulas his nominibus inscriptas fuisse suspicatus est Gutschmidius[4]), cuius coniecturam Wipprechtius[5]) festinanter nimis arripuit, in incerto relinquere maluit Schraderus.[6]) Hic vero Troicorum auctorem Palaephatum illum dicere non dubitat[7]) quem Theodorus Iliensis et Philo Byblius Suida teste Aristotelis amasium tradidere. At Suidam si audis, fuit Palaephatus ille Abydenus, si Schraderum, Parius vel Prienensis; consentiunt autem dum pugnare videntur; Abydenum enim ab altero, Pariano scilicet, non differre supra ostendere conatus sum. Quae si recte sunt disputata, vides eum virum qui historici nomen sit meritus et *Κυπριακά*, *Δηλιακά*, *Ἀττικά* scripserit, eundem vix fabulosa (num enim historica?) quaedam *Ἀραβικά* scribere potuisse. Conieci ergo Suidae vel eius auctori eiusdem rei duplicem memoriam praesto fuisse, altero loco pleniorem, ubi scripta historica recenserentur omnia, sed unius nomine corrupto, altero Troica tantum testantem, de quibus dubitare vel fragmenta vetant.[8])

---

1) l. l. p. 46; eiusmodi alia, quibus addere licebit semper nova exempla, a me iam disputata erant (*Consid. etc.* p. 39 etc.).

2) Aegyptius quoque obiter nobis infra tangendus erit.

3) FHG II 338; cfr. *Consideraz. etc.* p. 39 et adn. 1.

4) Apud Flachium l. l., Addenda et corrigenda p. LXX.

5) l. l. p. 62. 6) l. l. p. 47.

7) l. l. p. 48 sq. Herennii Philonis Byblii (cuius recte ibd. adn. 1 memoriam revocavit; cfr. C. Mueller FHG III 573) et Theodori Iliensis testimonium tam parvi faciendum iure negat.

8) Collegit haec post Muellerum (FHG II 338 sq.) Wipprecht. Ceterum doctrinae palaephateae vestigia vel in libello *περὶ ἀπίστων* invenias, ut est illud *Ἀργείων λόχος* et quae in Amazonum capite delitescunt. Eiusmodi autem complura sibi reperisse videtur Schraderus ubi de Palaephati patria agit.

⟨k⟩ Pariani Palaephati **Incredibilium** libros V posteriore aetate in unum contractos fuisse, vel inde excerpta nonnulla extitisse, per se satis credibile est. Eiusmodi compendia respicere videntur et Suidas in Aegyptii Palaephati memoria verbis *μυθικῶν βιβλίον α΄, λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων*, et Theo sophistes in Progymnasmatum c. 6: *καὶ Παλαιφάτῳ τῷ περιπατητικῷ ἐστιν ὅλον βιβλίον περὶ τῶν ἀπίστων ἐπιγραφόμενον, ἐν ᾧ τὰ τοιαῦτα ἐπιλύεται.* In Pariani scriptis recensendis *ὑποθέσεις εἰς Σιμωνίδην* a me consulto omissae sunt, quae in historicum et periegetam minus quadrant quam in grammaticum Aegyptiae Theologiae auctorem.[1]) Suidae autem verba *ἔγραψε καὶ ἱστορίαν ἰδίαν* quo sint referenda dubius adhuc haereo.[2]) Si recte Pariano *Τρωικά* tribuimus, num in fonte huius memoriae vetustissimo legebatur *Τρωικὰ ἱστορίᾳ ἰδίᾳ*?[3]) quae conferenda essent cum verbis quae in traditi opusculi praefatione leguntur: *ἀλλ' αὐτὸς ἐπελθὼν καὶ ἱστορήσας.*

§ 2. Palaephati libellos pervulgatos olim et lectitatos fuisse testimonio esse potest Athenionis comici fragmentum[4]) ex fabula quae *Σαμοθρᾷκες* inscripta erat. Cum servo ibi, ut recte Meinekius perspexit, colloquitur coquus quem ille conducere a domino iussus erat. Operae pre-

---

1) Qui unum hunc atque *ἀπίστων* auctorem credunt, Wipprechtius et Schraderus, aperta Simonideorum studiorum in Palaephati qui fertur libello vestigia deprehendisse sibi videntur; nec tamen certa res est, neque inde quod illi volunt efficitur, cum de libelli fide, ut infra ostendam, dubitare liceat, immo oporteat. Hoc unum ex eorum animadversionibus libenter colligo, in grammaticorum commentariis haud raro fieri potuisse ut Simonidis fabulae una cum Palaephati illius Troicorum auctoris explicatione pragmatica traderentur.

2) Confidenter *ἰδίαν* tamquam *ξένην* vel *παράδοξον* sumit Schraderus p. 45; sed *ἀπίστων* scriptores cum *παραδοξογράφοις* confundere nimiae videtur inertiae.

3) Verba enim *ἅτινες εἰς τὸν Ἀθηναῖον, τινὲς δὲ εἰς τὸν Πάριον ἀνήνεγκαν* addita esse a grammatico aliquo posterioris aetatis fere constat; quo facto etiam verba sequentia leviter immutata sunt.

4) Apud Athen. XIV 660e; Kock CAF III 369.

tium est audire *μάγειρον*, ut est apud Athenaeum, *φυσιολογοῦντα*:

ἀλληλοφαγίας καὶ κακῶν ὄντων συχνῶν
γενόμενος ἄνθρωπός τις οὐκ ἀβέλτερος
θύσας ἱερεῖον πρῶτος ὤπτησεν κρέας.
ὡς δ' ἦν τὸ κρέας ἥδιον ἀνθρώπου κρεῶν,
αὑτοὺς μὲν οὐκ ἐμασῶντο, τὰ δὲ βοσκήματα
θύοντες ὤπτων. ὡς δ' ἅπαξ τῆς ἡδονῆς
ἐμπειρίαν τιν' ἔλαβον, ἀρχῆς γενομένης,
ἐπὶ πλεῖον ηὖξον τὴν μαγειρικὴν τέχνην.
ὅθεν ἔτι καὶ νῦν τῶν πρότερον μεμνημένοι
τὰ σπλάγχνα τοῖς θεοῖσιν ὀπτῶσι φλογὶ
ἅλας οὐ προσάγοντες· οὐ γὰρ ἦσαν οὐδέπω
εἰς τὴν τοιαύτην χρῆσιν ἐξευρημένοι.
ὡς δ' ἤρεσ' αὐτοῖς ὕστερον, καὶ τοὺς ἅλας
προσάγουσιν ἤδη κτλ.

Quibus auditis servus, ut videtur, exclamat:

27 *καινὸς γάρ ἐστιν οὑτοσὶ Παλαίφατος.*

Recte Kockius[1]: 'Palaephato coquum comparat ut incredibilia narrantem et ad priscorum hominum mores pertinentia.' Licet enim comici versus cum doctrinae palaephateae vestigiis conferre quae nostrum *περὶ ἀπίστων* compendium adhuc servat: adulescentes in Thessalia primi equitare instituunt, *ἐπινοοῦσιν ἵππους κέλητας διδάξαι* (*πρότερον γὰρ οὐκ ἠπίσταντο ἐφ' ἵππων ὀχεῖσθαι, ἀλλὰ μόνον ἅρμασιν ἐχρῶντο* (p. 4, 12 sqq.); — servorum priscis temporibus nullus erat usus, *οἱ δὲ τότε ἄνθρωποι αὐτουργοὶ πάντες ἦσαν οἰκέτας τε οὐκ εἶχον κτλ.* (p. 14, 15 sq.; cfr. 16, 1 sqq.); — de nummis antiqua aetate ignotis plus quam

1) l. l. p. 371. Schraderus hanc rem levissime attigit (p. 21, adn. 3), Wipprechtius contra (p. 48) 'Athenionis verba ad Palaephatum illum antiquissimum Atheniensem, qui secundum Suidam ante Homerum exstitit, referenda esse, cuius inter opera — ficta sine dubio — etiam *κοσμοποιία* nominatur, cuius generis opus comici illius menti obversatum esse potest' opinatur. Talia refutare hic supersedeo.

semel agitur: ἀργυρίῳ μὲν οὖν οἱ τότε ἄνθρωποι οὐκ ἐχρῶντο (54, 8 sq.; cfr. 32, 4 sq.; 62, 9); — de artis a rudi sane initio incrementis agit notissima illa de Daedali statuis se moventibus narratio.[1]) Sollemnia quoque huiusmodi fabularum verba ὅθεν ἔτι καὶ νῦν Athenio v. 17 consulto usurpasse videtur, quae apud Heraclitum[2]) integra servantur duobus locis (infra p. 81, 1; 86, 16), alibi paulum immutata, ut καὶ νῦν δὲ ἔτι (82, 14), ὅθεν καὶ ἡμεῖς (84, 13). Similis est in libello palaephateo formula ὥσπερ καὶ νῦν (15, 8; 17, 2; 29, 11; 37, 1) et οὐδὲ γὰρ νῦν (50, 6); quae omnia ex eo principio pendere, quod in opusculi praefatione quasi fundamentum investigationis iacitur, nemo non videt.

Comicorum iocos, quibus ansam πιθανολογίαι et argutiae philosophantium rhetorum[3]) facile praebuere, ut saepe factum est, in grammaticorum scrinia congestos et a prima significatione detortos quasi testimonia rerum gestarum gravissima eruditi rerum investigatores habuerunt. Inde oriri potuit vel illa quam supra exposui[4]) fabella, quae Palaephatum Abydenum esse narrabat, si fide dignus est Suidae auctor qui v. Ἄβυδος talia narrat: ἄβυδον φλυα-

---

1) Quam quidem multo melius in scholiis platonicis (ad Men. 97 d) quam in libello nostro servatam esse patet.

2) Ne mireris Heraclitum a me in hanc causam vocari, magnam in eius congerie partem habuisse Palaephati libelli videntur; quod partim ex veterum testimoniis (cuiusmodi est Eusebii de Sirenis; cf. *Consider. etc.* p. 26 et adn. 1), partim aliis argumentis evincitur, quae infra breviter attingenda erunt. Ad institutam rem quod proxime accedit, conferas velim cum Athenionis narratione quae de Orpheo apud Heraclitum (infra p. 81, 10 sqq.) leguntur: θηριώδους ὄντας τοὺς ἀνθρώπους κτλ.

3) Rhetorum scholae quantum rei fabulari immutandae vexandae extollendae aut deprimendae contulerint a Gorgiae temporibus ad Byzantinorum magistros, nondum satis quaesitum et expositum videtur. Obiter hanc rem attigi in *NO.* 243—45.

4) Aliam originem habere potuisse haec fabula olim mihi videbatur. Nunc in Τρωικῶν potissimum auctorem convenire videtur ut comicus aliquis vel sillographus ἄβυδον φλυαρίαν obiciens omnino illum irridens Ἀβυδηνόν appellaret.

ρίαν τὴν πολλήν. Ioci vis est, ut arbitror, in verbo βύειν, ut ἄβυδος tantum fere valeat quantum ἄθυρος, ἀθύρωτος sim.; cuiusmodi ludibrium obsceni sermonis licentia in Sinopen meretriculam coniecit, si quidem haec, ut Herodicus testabatur[1]), ἄβυδος ἐλέγετο διὰ τὸ γραῦς εἶναι.[2]) Adde quae de moribus Abydenorum vulgo ferebantur[3]); fieri potuisse concedes ut hominem garrulum et delicatulum notantes Palaephati detrectatores modo Abydenum modo Aristotelis delicias appellarent. Sed, utcumque de his iudicabitur, quousque comicorum in Palaephato insectando scurriles dicacitates progressae sint, in incerto nunc quidem esse debet; tamen ex hoc fonte fluxisse iam pridem[4]) opinabar quaecumque de fabuloso vate apud Suidam s. v. Παλαίφατος narrarentur. In hoc me errasse arbitratur Wipprechtius[5]) propterea quod de fabulosi vatis memoria Apollodorus Atheniensis Asclepiadis filius auctor gravissimus laudari possit. At videamus quaenam ex Apollodori thesauris scholiastarum improba diligentia deprompserit[6]): *οἷς καὶ Ἀπολλόδωρος ἐπηκολούθησε γράφων οὕτως· τὰς μὲν Μούσας οἱ μὲν πλεῖστοι παρθένους παραδεδώκασι, γράφει δὲ * * * Οὐρανίας[7]) μὲν Λίνον, Καλλιόπης ⟨δὲ⟩ Ὀρφέα,*

---

1) Ap. Athen. XIII 586 a.

2) Immo, ni fallor, uno verbo complectentes illud probrum quod integro versu Martialis expressit (III 72, 5: *aut infinito lacerum patet inguen hiatu*) scorto cognomen fecerunt.

3) V. e. g. Athenaei locum Hermippi, Aristophanis, Antiphontis fragmentis insignem XIII 524.

4) *Consider. etc.* p. 32 sqq. Praeierat Gutschmidius (apud Flachium l. l.) qui similitudinem inscriptionum inter Palaephati mythici quae Suidas recenset opera et mediae aetatis fabulas comicas nonnullas recte perspexerat.

5) l. l. p. 57 sq.

6) Locus est in schol. ad Rhes. 437 (II 335, 20 sqq. Schwartz). Verba *τὰς μὲν — παραδεδώκασι* tantum ex Apollodoro accurate descripta arbitratur Schwartz, quod post illud *γράφων οὕτως* vix credibile videtur.

7) Lacunam statui, auctoris nomen perisse ratus; hoc equidem veri similius arbitror quam *ἀναγράφει δὲ Οὐρανίας* ut est apud Schwartzium.

*Μελπομένης δὲ Θάμυριν, Εὐτέρπης δὲ Ῥῆσον, Τερψιχόρης δὲ Σειρῆνας, Κλειοῦς δὲ Ὑμέναιον· τῶν δὲ λοιπῶν Θαλείας Παλαίφατο⟨ς⟩ * * * ν, ἐκ*[1] *δὲ Πολυμνίας Τριπτόλεμον κτλ.*

Haec ita emendanda esse arbitror, et ipsa verborum constructio[2] testimonio esse potest. Fuit igitur in Apollodori auctoribus Palaephatus noster historicus Atticorum et Troicorum scriptor, non de Palaephato Thaliae filio[3]) quidquam Apollodorus ipse tradidit. Cum Palaephati fragm. 8 hoc optime quadrat: *περὶ δὲ τοῦ τὰς Μούσας ἐν τῇ Ἀττικῇ ἱδρῦσθαι ἀρκεῖ τὰ Παλαιφάτου.*[4] Ad fabulosum Musae filium haec verba referre unus Schraderus[5] ausus est inconsiderate nimis et sine ulla specie veritatis. Scholiorum enim homericorum ad *K* 435[6] magnam

1) Ita correxi; vulgo legitur *Παλαίφατον, ἐκ.*

2) Post illud *οἱ μὲν πλεῖστοι* laudandus fuit auctor unus et alter, et illud *τῶν δὲ λοιπῶν* de auctoribus potius quam de Musis accipiendum videtur. Thaliae filios Corybantas fortasse Palaephatus memoravit; cf. [Apollod.] Bibl. I 18 Wagner.

3) Nullo pacto haec firmari possunt vel Suidae vel scholii homerici, de quo infra, testimonio. Volvitur enim ratiocinatio in orbem quendam, si Suidae verbis *οἱ δὲ Ἑρμοῦ* Ecksteinio auctore additur *καὶ Θαλείας*. Obiter haec tetigeram in *Consider. etc.* p. 30, sed frustra (v. Wipprecht p. 54, qui Eckteinium laudat). V. infra adn. 5.

4) Schol. Eur. Med. 834 (II 185 Schwartz); cf. *Consideraz. etc.* p. 33 et 39.

5) 'Hic mihi non Palaephati hac de re memoria indicari videtur sed fabulae quae de Atheniensi Palaephato Mercurii et Thaliae Musae filio ferebatur, quam ex eodem fortasse commentario adducit schol. ad Rhes. vs. 347' l. l. p. 44, 1. Integra viri verba descripsi ne calumniari viderer. Atheniensem Palaephatum dicit Suidas, non scholiastae, hi non ille Thaliae filium, Mercurii autem filium iterum Suidas tantum, quem non nisi cavillantes huc testem adducere possumus. Verba autem *περί* et *τὰ Παλαιφάτου* quomodo Schraderus interpretatus sit, coniectura assequi non audeo.

6) *Ὅσοι ἐκ Μουσῶν τίκτονται* verba produnt catalogorum expilatorem. Ceterum quam sint omnia confusa et ab Apollodori notitia diversa cognosces: *Ὀρφεὺς ἐκ Καλλιόπης ἢ Κλειοῦς, Λίνος Τερψιχόρης ἢ ὥς τινες Εὐτέρπης, Ῥῆσος Τερψιχόρης ἢ Εὐτέρπης Θρᾷξ, Θαλείας Παλαίφατος * * *, Ἐρατοῦς Θάμυρις ὁ Θρᾷξ, Μελπομένης καὶ Ἀχελῴου Σειρῆνες, Πολυμνίας Τριπτό-*

esse fidem nemo, ut opinor, dixerit. Restat apud Suidam epicus ille poeta atticus, quem recentiore aetate fictum partim ex comicorum poetarum facetiis partim ex romanensium fabularum inventis 1) crediderim. Singula hoc loco examinare longum est; quae ad rem faciunt a me 2) et a Wipprechtio 3) iam pridem exposita sunt. Illud quoque incertum est utrum eiusmodi fabulae iam Christodori aetate s. VI vulgatae fuerint necne; quoniam in eius ecphrasi versus 36 sq.

Δάφνῃ μὲν πλοκαμῖδα παλαίφατος ἔπρεπε μάντις
στεψάμενος, δόκεεν δὲ χέειν μαντώδεα φωνήν

vatem, non poetam indicant, neque constat hic nomen proprium esse illud *παλαίφατος*. 4) Certe hunc locum respiciens paulo post (v. 41) Christodorus ipse *μαντιπόλος πάλιν ἄλλος* inquit *ἔην φοιβηίδι δάφνῃ | κοσμηθεὶς Πολύειδος· ἀπὸ στομάτων δὲ τινάξαι | ἤθελε μὲν κελάδημα θεόπροπον κτλ.* Ovum ovo similius esse non potest quam haec sunt in Christodori versibus duo vatum simulacra Hesiodi signo utrimque adstantia; nomen alteri tantum inscriptum fuisse mihi quidem veri simillimum videtur, unde anonymi

---

λεμος. Miserae huius eruditionis fontem principem *Θαλείας Παλαίφατος γεγονέναι φησὶ τοὺς Κορύβαντας* vel tale quid habuisse suspicor.

1) His nimium fortasse tribuit U. v. Wilamowitz-Möllendorff (*Herakles* I² p. 101 n. 184), cuius in his rebus tractandis fastidium non mirabimur. Illud potius mirum videtur de Palaephato historico eum dubitare, cum Xenophontes suppositicios laudaverit, quorum memoria nulla fuisset, nisi Xenophon historicus antea exstitisset.

2) *Consideraz. etc.* p. 32 sqq. 3) l. l. p. 54 sqq.

4) Sane in ecphrasi singulis signis nomen apponitur; tamen athletae signum cui tribueret incertus haesit poeta v. 228 sqq.; idem in vatis signo evenisse non omni probabilitate carere dicemus. Eruditionis suae specimen ut praeberet v. 229 sqq. Philonis, Philammonis, Milonis nomina attulit; eiusmodi nihil in vatis signo 36 sq., quia vates postea insignes recensendi erant expressis nominibus Polyidus 42, Calchas 52, Melampus 243, Amphiaraus 259, Aglaus 263.

illius imaginem describens, παλαίφατα θέσφατα[1]) et id genus alia bonus Christodorus recordatus, μάντιν παλαίφατον creavit.

II. De libelli περὶ ἀπίστων origine et vicibus.

Ne quis miretur in ea quae praecedit disputatione nihil a me dictum esse de Palaephato Aegyptio, cui Suidas opus tribuit Αἰγυπτιακὴν Θεολογίαν, consulto id feci quo facilius ad alteram quaestionem de libelli quem habemus περὶ ἀπίστων origine et vicibus tractandam transitum pararem. Sunt enim ea quae de hoc Aegyptio Palaephato vel apud Suidam legimus vel coniectura assequi possumus adeo cum Palaephati nostri historici de quo supra diximus operibus et fama arte connexa, ut mirum non sit quod Aegyptium unum verum operis περὶ ἀπίστων auctorem Wipprechtius et Schraderus habuerint.[2]) Sane alter ab altero longe discrepat, cum ille ‘circa medium secundum a. Chr. saeculum’, hic Aristotelis temporibus[3]) vixisse Palaephatum opinetur. Mihi post ea quae a Schradero et a me de operibus historico Palaephato ex Suidae memoria tribuendis disputata sunt, in hunc Aegyptium nihil iam praeter Aegyptiam illam Theologiam convenire videtur; quae quale fuerit opus iam pridem ex Iohannis Malalae Chronographia elicere conatus sum.[4])

Fueritne omnino Palaephatus ab Aristotelis discipulo diversus qui pragmaticam veteris mythologiae interpretationem ad Euhemeri exemplum tradiderit, an Palaephati nomen commenticium operi ex variis rei fabularis scriptoribus conflato vel excerptor ipse vel sollers aliquis

---

1) De his v. *Consideraz. etc.* p. 32 et Wipprecht. l. l. p. 54.

2) V. quae supra attigi p. XXXVIII adn. 5. Ceterum potuit Abydus Aegyptia ex Abydeno et Aegyptio Palaephato unum virum efficere!

3) Wipprecht. p. 65; de Schraderi opinione dixi p. XXXVI sq.

4) *Consideraz. etc.* p. 26 sq. et 63 sq. Praesertim in censum veniunt fabulae de Venere et Marte a Vulcano deprensis et de Hercule purpurae inventore, quibus addi potest illa quae in Chronico Paschali de Baccho legitur.

librarius indiderit[1]), in obscuro nunc quidem est. Illud patet, in huiusmodi farragine tradita fuisse nonnulla de diis, quos germanus Palaephatus consulto silentio praeterisse videtur[2]); quin et quicumque eam composuit in numero fuisse eorum qui theologi nominabantur[3]) affirmare ausim, taliaque ab eo narrata esse qualia Ciceronis iam tempore vulgata erant de diis Aegyptiis[4]), unde postea Byzantinorum chronologia vetustissima originem duxit. Certiora ut afferri possint, a byzantinorum studiorum cultoribus nova subsidia exoptare oportet. Nunc ad propositum meum redeo.

Fuit igitur de incredibilibus opus a peripatetico historico scriptum; fuere autem, ut arbitror, eiusmodi opera falso Palaephati nomine inscripta complura, unde sicut pragmaticae fabularum interpretationes per omne litterarum classicarum genus dispersae[5]), ita magna ex parte

---

1) Hoc alterum mea quidem sententia probabilius est; quippe typicam, si licet hoc verbo uti, vim habuisse videtur opus Palaephati peripatetici de incredibilibus. Hoc testatur vel Athenionis quem supra laudavimus versus *καινὸς — Παλαίφατος*. Palaephatum sapiunt quae apud Plutarchum *De Is. et Os.* 72 p. 379 f. 380 a leguntur.

2) V. *Consideraz. etc.* p. 26 cum adn. 4, et *NO.* 234 sq.

3) Ut ait Cicero *De nat. deor.* III 21, 53.

4) *De nat. deor.* III 16, 42 (de Hercule Nili filio *Phrygiarum litterarum* auctore); 21, 54 (de Sole Volcani filio); 22, 55 (de Mercurio Nili filio); 23, 58 (de Dionyso Nili filio), 59 (de Venere Iovis filia Volcano nupta et Minerva Nili filia). Supervacaneum fortasse non erit illius meminisse, de qua Plutarchus (*De Is. et Os.* 9 p. 354 c) ait, *φιλοσοφίας ἐπικεκρυμμένης τὰ πολλὰ μύθοις καὶ λόγοις ἀμυδρὰς ἐμφάσεις τῆς ἀληθείας καὶ διαφάσεις ἔχουσιν, ὥσπερ ἀμέλει καὶ παραδηλοῦσιν αὐτοὶ πρὸ τῶν ἱερῶν τὰς Σφίγγας ἐπιεικῶς ἱστάντες ὡς αἰνιγματώδη σοφίαν τῆς θεολογίας αὐτῶν ἐχούσης*. Adde ibd. 358 f.: *οὐκ ἔοικε ταῦτα κομιδῇ μυθεύμασιν ἀραιοῖς καὶ διακένοις πλάσμασιν, οἷα ποιηταὶ καὶ λογογράφοι καθάπερ οἱ ἀράχναι γεννῶντες ἀφ' ἑαυτῶν ἀπ' ἀρχῆς ἀνυποθέτου ὑφαίνουσι καὶ ἀποτείνουσι, ἀλλ' ἔχει τινὰς ἱστορίας καὶ παθῶν διηγήσεις*. Denique *Αἰγυπτίων θεολογία* dicitur ibd. 48 p. 371 a quodcumque de Iside et Osiride traditum erat.

5) Has reliquias colligere et huic volumini tamquam supple-

hic etiam quem in manibus habemus libellus περὶ ἀπίστων fluxisse dicendus est. Nam quod Schraderus et Wipprechtius, partim etiam Schwartzius[1]), germanum Palaephati opus, in compendium tantum redactum, nobis servatum esse contendunt, id quo pacto posset defendi frustra diu quaesivi. Diligenter[2]) autem consideranti nonnulla Palaephato ipso vel vetustiore etiam scriptore digna apparent, alia contra recentiorum studia produnt, alia denique ita inter se concertare videntur ut ad unum referri auctorem omnino non possint. Ac primum vetustatis haud spernenda indicia et in libelli praefatione et in capitum nonnullorum simplici quodam et ingenuo colore deprehendi posse arbitror.[3]) Accedit Hesiodi locus in cap. XLI (infra p. 62, 5) apud nullum alium recentiorum laudatus[4]) quem commenticium dicere licet, demonstrare non licet. Occurrit autem is in extrema fere libelli parte, quae et illam de Omphalae et Herculis amoribus narratiunculam continet, Ptolemaeorum saltem, ut licet conicere, aetate antiquiorem. Herculem scilicet Omphalae servum certo tempore fuisse vulgatissima fabella narrabat; hanc ille qui cap. nostri libelli XLIV scripsit ita interpretatur ut amoris causa facta esse dicat quaecumque de servitute illa sint tradita. Eiusmodi fabellae explanatio adeo placuisse videtur posteriorum temporum poetis et artificibus[5]) ut quasi de homi-

---

mentum addere, ut dixi, in animo est; at si quis hoc mihi consilium praeripere voluerit, haud gravabor equidem, immo quasi onere levatus laetabor.

1) Contra hos omnes dixi in *NO.* IV 226—31. 235—52, unde pauca hic repetere, novis quibusdam additis, satis duxi.

2) Sane nostram in hac re diligentiam naso suspendunt adunco qui dum suam in nostris nugis legendis oscitantiam celare conantur, quae ne intellexerunt quidem ea tamquam cognita re despicere volunt videri. Quos nil moramur; scimus enim parvos parva decere, et in parvorum nos numero libenter tenemus dum veritatem quam unam colimus deam sequamur.

3) V. *Consideraz. etc.* p. 4 sq. et *NO.* IV 226, adn. 4.

4) Fragm. 57 K.

5) Qua de re doctissime ut solet disputavit U. v. Wilamowitz-Möllendorff *Herakles* I² 71 sq.

num memoria illam ipsam veterem fabulam eiceret. Ne miremur hos, quos facile contemnimus, fabularum interpretes aliquando apud litterarum et artium cultores auctoritate valuisse, Lycophronis Alexandrae locum Schraderus[1]) cum libelli huius cap. XXIII concinere ostendit, in Callimachi autem fragm. 184 Schn. eandem fabulae *λύσιν*, quam Palaephato tribuit Hieronymus, iam Ganzenmüller[2]) detegit. Quid quod Ovidius Met. IX 647 sqq. explicationem pragmaticam fabulae de Chimaera significare Mythographo Vaticano[3]) videbatur, Servio[4]) autem Vergilius remigium alarum consulto dixisse ut obscure significaret non volasse Daedalum sed navigasse? Adde quod Vergilius ipse Lapithas frenorum inventores primos in orbe terrarum equitasse refert[5]), quod ad palaephateam huius fabulae interpretationem proxime accedit; Ovidius autem *πραγματικῶς πάνυ* de Amaltheae cornu agere videtur[6]), ubi fractum illud in pugna narrat et addit:

